

HERMUGENE APHTHONIQUE  
PROGYMNASMATUM

SCRIPTORIBUS.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE VIRCEBURGENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OSCARUS PHILIPPUS HOPPICHLER

WEIMICHELENSIS.

---

VIRCEBURGI

TYPIS ACADEMICIS C. J. BECKERI

MDCCCLXXXIV.

8<sup>o</sup> A. g. r. ~~1853~~

7801

Bene dicendi scientia, quantum apud Graecos potissimum valuerit, quis est, qui ignoret? Multi igitur adulescentes huic arti se dediderunt; cum autem, ut in aliis artibus, ita in oratoria arte praeexercitationes maxime sint necessariae — poëta enim solus nasci dicitur, ut est in proverbio, orator autem fieri — veteres illis meditationibus multum temporis et laboris impertiisse omnes scimus.

Huiusmodi praeexercitamenta erant apud Graecos προγυμνάσματα, quod nomen primum invenitur in Aristotelis rhetorice ad Alexandrum (cap. 28), quae auctore Spengelio ad Anaximenem referri solet.

Procedente autem tempore, ut est mos hominum, eos, qui orandi artis studiosi erant, laboriosorum praeexercitamentorum cum taederet, factum est, ut permulti, illis praeexercitationibus non imbuti, abrupte in ipsam rhetoricen caderent. Theo quidem hanc exercitationum fugam aequalium suorum perstringere videtur, cum dicit (p. 59 ed. Speng.): νυν δὲ οἱ πλείους τοσοῦτον δέουσι τῶν τοιούτων λόγων ἐπαίειν, ὥστε οὐδὲ τῶν ἐγκυκλίων καλουμένων μαθημάτων ὅτιοῦν μεταλαμβάνοντες ἄττουσιν ἐπὶ τὸ λέγειν, καὶ τὸ πάντων ἀγροικότατον, ὅτι οὐδὲ οἷς προσήκόν ἐστιν ἐγγυμνασάμενοι,

ἐπὶ τὰς δικανικὰς καὶ δημηγορικὰς ἵενται ὑποθέσεις, τὸ δὲ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐν πίδῳ τὴν κεραμεῖαν μανθάνοντες. Quae cum ita essent, complures<sup>1)</sup> rhetores his praeexercitationibus maiorem auctoritatem rursus esse tribuendam rati, προγυμνάσματα conscripserunt, in quibus ἂν πρὸ τῆς ὑποθέσεως ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰδέναι τε καὶ ἐπεικῶς ἐγγυμνάζεσθαι, ut Theonis verbis utar, tradebant.

Antiquissimi autem rhetores Graeci, quorum progymnasmata servata sunt, Hermogenes, Aphthonius, Theo esse videntur, de quibus hoc loco agere institui. Ac primum quidem de aetate cum Hermogenis et Aphthoni, tum Theonis mihi agendum erit, deinde de ordine progymnasmatum Theonis eorumque numero disseram.

## I.

Scripta Hermogenis, Aphthoni, Theonis inter se mirum quantum cohaerere, nemo erit, qui ignoret, si quidem ea diligenter perlegerit atque inter se comparaverit. Concedendum quidem est, facillime fieri posse, ut, si qui auctores de eadem re agant, praesertim quam certe alii iam antea verbis et litteris tractaverint, nonnullis in rebus, etiamsi suam quisque doctrinam in medio ponat, idem sentiant; sed insunt his progymnasmatis multae res, in quibus scriptores, aut omnes aut duo eorum, ita consentiunt atque concinunt, ut quin alius alius libellum ante oculos habuerit atque inspexerit, dubitari non possit, etiamsi mirum

---

<sup>1)</sup> Jam ante Hermogenem, Aphthonium Theonemque progymnasmata composita esse, ipsis ex scriptis horum rhetorum manifestum esse, infra docebo.

est, quod nemo eorum affert, cuius auctoritate et præceptis nitatur.

Jam nonnulla mihi enumeranda sunt, primum (I) quae hi rhetores omnes, deinde (II) quae Hermogenes et Aphthonius, tum (III) quae Hermogenes et Theo, denique (IV) quae Aphthonius et Theo in promiscuo habent.

Ad I:

Cap. π. διηγ. cf. Herm. p. 4, 19 sequ.: Τὸ διήγημα βούλονται εἶναι ἐκθεσιν πράγματος γεγονότος ἢ ὡς γεγονότος. Aphth. p. 22, 2 sequ.: Διήγημά ἐστιν ἐκθεσις πράγματος γεγονότος ἢ ὡς γεγονότος. Theo. p. 78, 15 sequ.: Διήγημά ἐστι λόγος ἐκθετικὸς πραγμάτων γεγονότων ἢ ὡς γεγονότων.

Cap. π. χρείας. cf. H. p. 6, 12 sequ.: καὶ πάλιν τῷ τὴν μὲν χρεῖαν καὶ ἐν πράξεσιν εἶναι, τὴν δὲ γνώμην ἐν λόγοις μόνον. A. p. 26, 2 sequ.: διενήνοχε δὲ ἡ χρεῖα τῆς γνώμης τῷ τὴν μὲν χρεῖαν εἶναι ποτε καὶ πρακτικὴν, τὴν δὲ γνώμην αἰεὶ λογικὴν. Th. p. 97, 1 sequ.: τέραρτον ὅτι ἡ μὲν χρεῖα πράξις ἢ λόγος ὑπάρχει, ἡ δὲ γνώμη λόγος ἐστὶ μόνον.

H. p. 6, 13 seqq.: καὶ πάλιν τῷ τὴν μὲν χρεῖαν τὸ πρόσωπον τὸ πεποιηκὸς ἔχειν, τὴν δὲ γνώμην ἄνευ προσώπου λέγεσθαι. A. p. 26, 5 sequ.: καὶ τῷ τὴν μὲν χρεῖαν δεῖσθαι προσώπου, τὴν δὲ γνώμην ἀπροσώπως ἐκφέρεσθαι. Th. p. 96, 25 seqq.: τῷ τὴν μὲν χρεῖαν πάντως ἀναφέρεσθαι εἰς πρόσωπον, τὴν δὲ γνώμην οὐ πάντως.

Cap. π. κοιν. τοπ. cf. H. p. 9, 29 sequ.: προοίμια γὰρ οὐκ ἔσται καθαρῶς ἐν τόπῳ, A. p. 32, 25 διὸ προοίμιον μὲν ὁ κοινὸς τόπος οὐκ ἔχει, Th. p. 107, 15 seqq.: ἡδὴ δὲ καὶ προοιμίων πολλοὶ φροντίζουσι, καὶ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἐκτίθενται ὥσανεὶ διηγούμενοι, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὰς

αὐξήσεις ἐπιφέρουσιν, οἱ δὲ τοιοῦτοι τάχα ἂν καὶ οὕτως ὠφελοῖντο, διαφθείρουσι μέντοι τὴν ιδιότητα τοῦ γυμνάσματος (cf. p. 106, 26<sup>1</sup> seqq.)

Cap. π. ἐκφρ. cf. H. p. 16, 11 seqq.: Ἐκφρασίς ἐστι λόγος περιγηματικός, ὡς φασι, ἐναργής, καὶ ὑπ' ὅψιν ἄγων τὸ δηλούμενον. A. p. 46, 15 seqq.: Ἐκφρασίς ἐστι λόγος περιγηματικός ὑπ' ὅψιν ἄγων ἐναργῶς τὸ δηλούμενον. Th. p. 118, 7 seqq.: Ἐκφρασίς ἐστι λόγος περιγηματικός ἐναργῶς ὑπ' ὅψιν ἄγων τὸ δηλούμενον.

Cap. π. θεσ. cf. H. p. 17, 16: ὅταν γὰρ ἐξετάσωμεν, εἰ γαμητέον. A. p. 49, 17: ὅλον εἰ γαμητέον. Th. p. 120, 15: ὅλον εἰ γαμητέον (cf. 121, 9, 15).

Cf. praeterea H. p. 5, 27 seqq., A. p. 23, 3 seqq., Th. p. 97, 11 seqq.; H. p. 9, 18 seqq., A. p. 32, 20 seqq., Th. p. 106, 5 seqq.; H. p. 12, 6 seqq., A. p. 36, 9 seqq., Th. p. 109, 29 seqq.; H. p. 14, 10, A. p. 42, 25 seqq., Th. p. 113, 6 seqq., 17; H. p. 16, 12 seqq., A. p. 46, 16 seqq., Th. p. 118, 8 seqq.; H. p. 17, 26 seqq., A. p. 49, 15 seqq., Th. p. 121, 6 seqq. et multa alia id genus.

#### Ad II:

Cap. π. μυθ. cf. H. p. 3, 6 seqq.: ὀνομάζονται δὲ ἀπὸ τῶν εὐρόντων οἱ μὲν Κύπριοι, οἱ δὲ Λιβυκοί, οἱ δὲ Συβαριτικοί, πάντες δὲ κοινῶς Αἰσώπειοι λέγονται, διότι τοῖς μύθοις Αἰσώπος ἐχρήσατο πρὸς τὰς συνουσίας. A. p. 21, 3 seqq.: καλεῖται δὲ Συβαριτικός καὶ Κίλιξ καὶ Κύπριος πρὸς τοὺς εὐρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα, νικᾷ δὲ μᾶλλον Αἰσώπειος λέγεσθαι τῷ τὸν Αἰσώπον ἄριστα πάντων συγγράφαι τοὺς μύθους.

Cap. π. διηγ. cf. H. p. 4, 21 seqq.: διαφέρει δὲ διήγημα διηγήσεως, ὡς ποίημα ποιήσεως . . . . p. 4, 23 seqq.: ὅλον ποίησις ἢ Ἰλιάς καὶ ποίησις ἢ Ὀδυσσεύς, ποιήματα δὲ ἀσπιδοποιία, νεκυομαντεία, μνηστηροφονία. A. p. 22, 3 seqq.: διενήνοχε δὲ διηγήσεως, ὡς ποιήσεως

ποίημα. ποίησις μὲν γὰρ πᾶσα ἢ Ἰλιάς, ποίημα δὲ ἢ τῶν Ἀχιλλεύς ὅπλων κατασκευή. Contra Theo διήγημα et διήγησιν non distinguit; usurpat enim promiscue modo διήγημα (p. 60, 5, 10, 11; 66, 29; 67, 4; 74, 4; 75, 10, 11, 14, 16; 76, 31; 78, 12, 14, 15; 84, 1, 28; 85, 28; 91, 8; 93, 7, 13; 95, 20; 107, 23; 120, 10), modo διήγησιν (p. 60, 3, 6; 64, 31; 65, 21; 66, 16; 67, 12; 72, 11; 78, 16, 22; 79, 20, 22, 28; 80, 8, 22, 28; 81, 4; 83, 14, 26, 28; 84, 18, 22, 25; 86, 3, 15, 31; 87, 21, 23; 88, 1, 18; 89, 20; 90, 20, 21; 91, 11, 12, 25; 92, 24 (ter); 93, 28; 94, 14; 95, 4; 119, 23; 121, 3). Errat igitur Henricus Stephanus, qui s. v. διήγησις cum alia, tum haec dicit: De hoc discrimine (scil. quid intersit inter διήγημα et διήγησιν) agunt Hermogenes prog. cap. 2 et Theo prog. cap. 4.

Cap. π. χρείας. cf. H. p. 6, 2 seqq.: μικταὶ δὲ αἱ μίξιν ἔχουσιν λόγου καὶ πράξεως, ὅλον Διογένης ἰδὼν μενίσκον ἀτακτοῦν τὸν παιδαγωγὸν ἐτύπτησεν εἰπὼν, τί γὰρ τοιαῦτα ἐπαίδευες; A. p. 23, 10 seqq.: μικτὸν δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, λόγου καὶ πράξεως, ὅλον Διογένης μενίσκον ἐώρακὼς ἀτακτοῦν τὸν παιδαγωγὸν ἐπαισεν ἐπειπὼν, τί γὰρ τοιαῦτα παιδεύεις;

H. p. 6, 19 seqq.: ἐργασία τοίνυν οὕτως ἔστω. πρῶτον ἐγκώμιον, εἴτα παράφρασις, εἴτα ἡ αἰτία, ὅλον Ἰσοκράτης ἔφησε τῆς παιδείας τὴν μὲν ῥίξιν εἶναι πικράν, τὸν δὲ καρπὸν γλυκύν . . . . εἴτα κατὰ τὸ ἐναντίον . . . . εἴτ' ἐκ παραβολῆς . . . . εἴτα ἐκ παραδείγματος . . . . ἔστι δὲ καὶ ἐκ κρίσεως ἐπιχειρήσαι . . . . ἐν δὲ τῷ τέλει παράκλησιν προσθήσεις . . . . A. p. 23, 14 seqq.: ἐργασίῳ δὲ αὐτὴν τοῖςδε τοῖς κεφαλαίοις, ἐγκωμιαστικῷ, παραφραστικῷ, τῷ τῆς αἰτίας, ἐκ τοῦ ἐναντίου, παραβολῇ, παραδείγματι, μαρτυρίᾳ παλαιῶν, ἐπιλόγῃ βραχεί. p. 23, 19 seqq.: Ἰσοκράτης τῆς παιδείας τὴν ῥίξιν πικράν ἔφη, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. cf. p. 23, 21 — 25, 6.

Cap. π. γνωμ. Hermogenes et Aphthonius γνώμην ut gymnasium tractant, apud Theonem caput περί γνώμης non invenitur.

Cf. totum caput περί γνώμης apud Herm. p. 7, 11 seqq. et apud Aphth. p. 25, 7 seqq.

Cap. π. ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς. Hermogenes et Aphthonius ἀνασκευὴν καὶ κατασκευὴν inter progymnasmata rettulerunt; Theonem destructionem et assertionem non seorsum ut progymnasma tractasse infra docebitur.

Cf. H. p. 8, 30 seqq.: Ἀνασκευὴ ἐστὶν ἀνατροπὴ τοῦ προτεθέντος πράγματος, κατασκευὴ δὲ τοῦναντίον βεβαίωσις. A. p. 27, 25: Ἀνασκευὴ ἐστὶν ἀνατροπὴ προκειμένου τινὸς πράγματος et p. 30, 14: Κατασκευὴ ἐστὶ προκειμένου τινὸς βεβαίωσις πράγματος.

H. p. 9, 4 seqq.: ἀνασκευάσεις δὲ ἐκ τοῦ ἀσαφοῦς, ἐκ τοῦ ἀπιθάνου, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἐκ τοῦ ἀνακολούθου τοῦ καὶ ἐναντίου καλουμένου, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου. A. p. 27, 30 seqq.: καὶ κεφαλαίοις χρήσασθαι τοῖσδε· πρῶτον μὲν ἀσαφεὶ καὶ ἀπιθάνῳ, πρὸς τούτῳ καὶ ἀδυνάτῳ καὶ ἀνακολούθῳ καὶ ἀπρεπεῖ, καὶ τελευταῖον ἐπενεγκεῖν τὸ ἀσύμφορον (cf. p. 28, 6 — 30, 12; p. 30, 20 seqq.; p. 30, 27 — 32, 18).

Cap. π. κοιν. τοπ. Hermogenes et Aphthonius locum communem κοινὸν τόπον nominant, cf. p. 9, 17 etc. et p. 32, 19 etc.; Theo autem τόπον tantum appellare solet, cf. p. 106, 4 etc. (Similiter legimus apud Herm. p. 15, 6 titulum περί ἡθοποιίας et apud Aphth. p. 44, 20 ὅρος ἡθοποιίας, deinde apud Herm. p. 18, 17 περί νόμου εἰσφορᾶς et apud Aphth. p. 53, 16 ὅρος νόμου εἰσφορᾶς; contra apud Theonem p. 115, 11 περί προσωποποιίας et p. 128, 22 περί νόμου).

Cap. π. ἐγκωμ. cf. H. p. 11, 18 sequ.: Ἐγκώμιον ἐστὶν ἐκθεσις τῶν προσόντων ἀγαθῶν τινι κοινῶς ἢ ἰδίως. A. p. 35, 25 sequ.: Ἐγκώμιον ἐστὶ λόγος ἐκθετικὸς τῶν προσόντων τινὶ καλῶν et p. 36, 5 sequ.: ἐγκωμιαστέον δὲ καὶ κοινῇ καὶ καθ' ἑκάστον.

H. p. 11, 25 seqq.: ἐπαίνου δὲ διαφέρει τὸ ἐγκώμιον, ὅτι ὁ μὲν ἔπαινος καὶ ἐν βραχεὶ γένοιτ' ἂν, . . . τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐν μακροτέρῳ διεξόδῳ. A. p. 35, 27 seqq.: διενήνοχε δὲ . . . ἐπαίνου . . . τῇ τὸν μὲν ἔπαινον ἐν βραχεὶ γίνεσθαι, τὸ δὲ ἐγκώμιον κατὰ τέχνην ἐκφέρεισθαι.

Hermogenes et Aphthonius ἐγκώμιον a vocabulo κῶμη ductum esse putant; cf. Herm. p. 11, 22 seqq.: κέκληται δὲ ἐγκώμιον, ὥς φασι, ἐκ τοῦ τοὺς ποιητὰς τοὺς ὕμνους τῶν θεῶν ἐν ταῖς κῶμαις τὸ παλαιὸν ᾄδειν. et Aphth. p. 35, 26 sequ.: εἴρηται δὲ οὕτως ἐκ τοῦ ἐν κῶμαις ᾄδειν τὸ παλαιὸν· κῶμας δὲ ἐκάλουν τοὺς στενωπούς. Contra Theo a vocabulo κῶμος; cf. p. 109, 26 seqq.: ἐγκώμιον δὲ λέγεται τῇ τοὺς παλαιούς ἐν κῶμῳ τινὶ καὶ παιδιᾷ τὰς εἰς θεοὺς εὐλογίας ποιεῖν (cf. Henr. Steph., qui et ipse ἐγκώμιον a voc. κῶμος ductum esse putat, Theonem autem non affert.)

Cap. π. θεσ. cf. H. p. 17, 10 sequ.: Τῆς θέσεως ὅρον ἀποδεδῶκασι τὸ τὴν θέσιν εἶναι ἐπίσκεψιν τινος πράγματος θεωρουμένου . . . A. p. 49, 14 sequ.: Θέσις ἐστὶν ἐπίσκεψις λογικὴ θεωρουμένου τινὸς πράγματος.

Cf. praeterea totum caput περί ἡθοποιίας apud Herm. p. 15, 6 seqq. et apud Aphth. p. 44, 20 seqq.; H. p. 17, 23 seqq. et A. p. 49, 22 seqq.; H. p. 18, 7 seqq. et A. p. 50, 1 seqq.; H. p. 18, 18 sequ. et A. p. 53, 17 sequ. et quae sunt similia.

## Ad III:

Cap. π. μυθ. cf. H. p. 3, 17 sequ.: *χρὴ δὲ αὐτοὺς ποτὲ μὲν ἐκτείνειν, ποτὲ δὲ συστέλλειν.* Th. p. 74, 1: *καὶ ἐπεκτείνωμεν καὶ συστέλλομεν.*

Cap. π. διηγ. Hermogenes p. 5 Medeam exempli causa ponit; cf. Theonem p. 94, 17 seqq., qui eodem utitur exemplo.

Cap. π. χρείας. cf. H. p. 6, 1 sequ.: *οἷον Διογένης ἰδὼν μειράκιον ἀτακτοῦν τὸν παιδαγωγὸν ἐτύπησε.* Th. p. 98, 32 sequ.: *οἷον Διογένης ὁ Κυνικὸς φιλόσοφος ἰδὼν ὀψοφάγον παῖδα τὸν παιδαγωγὸν τῇ βακτηρίᾳ ἔπεισε* (cf. p. 102, 16 seqq.)

H. p. 6, 5 seqq.: *διαφέρει δὲ χρεία ἀπομνημονεύματος μάλιστα τῷ μέτρῳ· τὰ μὲν γὰρ ἀπομνημονεύματα καὶ διὰ μακροτέρων ἂν γένοιτο, τὴν δὲ χρείαν σύντομον εἶναι δεῖ.* ἔτι δὲ ὅτι ἡ μὲν ἀναφέρεται εἰς τινα πρόσωπα, τὸ δὲ ἀπομνημόνευμα καὶ καθ' αὐτὸ μνημονεύεται. Th. p. 97, 2 seqq.: *τὸ δὲ ἀπομνημόνευμα δυσὶ τοῖσδε κεχώριται τῆς χρείας· ἡ μὲν γὰρ σύντομος, τὸ δὲ ἀπομνημόνευμα ἔσθ' ὅτε ἐπεκτείνεται, καὶ ἡ μὲν ἀναφέρεται εἰς τινα πρόσωπα, τὸ δὲ ἀπομνημόνευμα καὶ καθ' ἑαυτὸ μνημονεύεται.*

Cap. π. ἡθοπ. cf. H. p. 15, 17 seqq.: *γίνονται δὲ ἡθοποιῖαι καὶ ὠρισμένων καὶ ἀορίστων προσώπων, ἀορίστων μὲν, οἷον πόλους ἂν εἴποι λόγους τις πρὸς τοὺς οἰκείους μέλλων ἀποδημεῖν . . . .* Th. p. 115, 14 sequ.: *οἷον τίνος ἂν εἴποι λόγους ἀνὴρ πρὸς τὴν γυναῖκα μέλλων ἀποδημεῖν, . . . .* (= ἐπὶ ἀορίστων προσώπων; cf. p. 115, 16 sequ.: *καὶ ἐπὶ ὠρισμένων δὲ προσώπων . . .*)

Cap. π. ἐκφρ. cf. H. p. 16, 12 seqq.: *γίνονται δὲ ἐκφράσεις προσώπων τε καὶ πραγμάτων [καὶ καιρῶν] καὶ τόπων καὶ χρόνων καὶ πολλῶν ἐτέρων. προσώπων*

*μὲν, ὡς παρ' Ὀμήρῳ, — φορκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα — πραγμάτων δὲ οἷον ἐκφράσεις πεζομαχίας [καὶ ναυμαχίας· καιρῶν δὲ οἷον] εἰρήνης, πολέμου· τόπων δὲ οἷον λιμένων, αἰγιαλῶν, πόλεων· χρόνων δὲ οἷον ἔαρος, θέρους, ἐορτῆς.* Th. p. 118, 8 seqq.: *γίνεται δὲ ἐκφράσεις προσώπων τε καὶ πραγμάτων καὶ τόπων καὶ χρόνων. προσώπων μὲν οὖν, οἷον . . . . τὰ περὶ τοῦ Θεοσίτου, — φορκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα . . . . πραγμάτων δὲ οἷον [φράσεις] πολέμου, εἰρήνης, χειμῶνος, λιμοῦ, λοιμοῦ, σεισμοῦ. τόπων δὲ οἷον λειμῶνος, αἰγιαλῶν, πόλεων, νήσων, ἐρημίας καὶ τῶν ὁμοίων. χρόνων δὲ οἷον ἔαρος, θέρους, ἐορτῆς καὶ τῶν τοιούτων.*

H. p. 16, 20 seqq.: *γένοιτο δ' ἂν τις καὶ μικτὴ ἐκφράσεις, ὡς παρὰ Θουκυδίδῃ ἡ νυκτομαχία· ἡ μὲν γὰρ νύξ καιρὸς τις, ἡ δὲ μάχη πράξις.* Th. p. 119, 2 seqq.: *γένοιτο δ' ἂν τις καὶ μικτὴ ἐκφράσεις, ὡς παρὰ Θουκυδίδῃ καὶ Φιλίστῳ νυκτομαχία· ἡ μὲν γὰρ νύξ καιρὸς ἐστίν, ἡ δὲ μάχη πράξις.*

H. p. 16, 22 seqq.: *ἐπιχειρήσομεν δὲ τὰ μὲν πράγματα ἐκφράζοντες ἀπὸ τῶν προγεγονότων καὶ ἐν αὐτοῖς γινομένων καὶ ἐπισυμβαινόντων, οἷον εἰ πολέμου λέγοιμεν ἐκφράσιν, πρῶτον μὲν τὰ πρὸ τοῦ πολέμου ἐροῦμεν, τὰς στρατολογίας, τὰ ἀναλώματα, τοὺς φόβους· εἴτα τὰς συμβολάς, τὰς σφαγὰς, τοὺς θανάτους· εἴτα τὸ τρόπαιον, εἴτα τοὺς παιᾶνας τῶν νενικηκότων, τῶν δὲ τὰ δάκρυα, τὴν δουλείαν. ἐὰν δὲ τόπους ἐκφράζωμεν ἢ χρόνους ἢ πρόσωπα, ἔξομέν τινα καὶ ἐκ τῆς διηγήσεως, ἐκ τοῦ καλοῦ ἢ χρησίου ἢ παραδόξου λόγον.* Th. p. 119, 14 seqq.: *ἐπιχειρήσομεν δὲ τὰ μὲν πράγματα ἐκφράζοντες ἐκ τε τῶν προγινομένων, καὶ ἐκ τῶν συμβαινόντων τούτοις, οἷον ἐπὶ πολέμου διεξελευσόμεθα πρῶτον μὲν τὰ πρὸ τοῦ πολέμου, τὰς στρατολογίας, τὰ ἀναλώματα, τοὺς φόβους, τὴν χώραν δηουμένην, τὰς πολιορκίας, ἔπειτα δὲ*

τὰ τραύματα καὶ τοὺς θανάτους καὶ τὰ πένθη, ἐφ' ἅπασιν δὲ τῶν μὲν τὴν ἄλωσιν καὶ τὴν δουλείαν, τῶν δὲ τὴν νίκην καὶ τρόπαια. ἐὰν δὲ τόπους ἢ χρόνους ἢ τρόπους ἢ πρόσωπα ἐκφράζωμεν, μετὰ τῆς παρ' ἑαυτῶν διηγήσεως ἀφορμὰς ἔξομεν λόγων καὶ ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἐκ τοῦ χρησίου καὶ ἐκ τοῦ ἡδέος . . . .

H. p. 16, 32 seqq.: ἀρετὰ δὲ ἐκφράσεως μάλιστα μὲν σαφήνεια καὶ ἐνάργεια· δεῖ γὰρ τὴν ἐρμηνείαν διὰ τῆς ἀκοῆς σχεδὸν τὴν ὅψιν μηχανᾶσθαι. ἔτι μέντοι συνεξομοιοῦσθαι τὰ τῆς φράσεως ὀφείλει τοῖς πράγμασιν· ἂν ἀνθηρὸν τὸ πρᾶγμα, ἔστω καὶ ἡ λέξις τοιαύτη, ἂν αὐχμηρὸν τὸ πρᾶγμα, ἔστω καὶ ἡ λέξις παραπλησία. Th. p. 119, 21 seqq.: ἀρετὰ δὲ ἐκφράσεως αἷδε, σαφήνεια μὲν μάλιστα καὶ ἐνάργεια τοῦ σχεδὸν ὁρᾶσθαι τὰ ἀπαγγελόμενα, ἔπειτα τὸ μὴ τελέως ἀπομηκύνειν περὶ τὰ ἄχρηστα, τὸ δὲ ὅλον συνεξομοιοῦσθαι χρὴ τοῖς ὑποκειμένοις τὴν ἀπαγγελίαν, ὥστε εἰ μὲν εὐανθὲς τι εἴη τὸ δηλούμενον, εὐανθὴ καὶ τὴν φράσιν εἶναι· εἰ δὲ αὐχμηρὸν ἢ φοβερὸν ἢ ὅποιον δῆποτε, μὴδὲ τὰ τῆς ἐρμηνείας ἀπᾶδειν τῆς φύσεως αὐτῶν.

Cap. π. θεσ. cf. H. p. 17, 35 seqq.: διαφέρει δὲ τόπου ἢ θέσις, ὅτι ὁ μὲν τόπος ἐστὶν ὁμολογουμένου πράγματος αὐξήσις, ἡ δὲ θέσις ἀμφισβητουμένου πράγματος ζήτησις. Th. p. 120, 16 seqq.: διαφέρει δὲ τοῦ τόπου, ὅτι ὁ μὲν ἐστὶν ὁμολογουμένου πράγματος αὐξήσις, ἡ δὲ θέσις ἀμφισβητουμένου.

H. p. 18, 2 seqq.: τῶν δὲ θέσεων αἱ μὲν ἀπλαῖ, αἱ δὲ κατὰ τὸ πρὸς τι λαμβάνονται . . . . ἐὰν γὰρ λέγωμεν εἰ γαμητέον, ἀπλῆ· ἐὰν δὲ εἰ βασιλεῖ γαμητέον, πρὸς τι . . . Th. p. 128, 3 seqq.: ἐπεὶ δὲ τῶν θέσεων αἱ μὲν εἰσιν ἀπλαῖ, αἱ δὲ συνευγμέναι, ἀπλαῖ μὲν εἰ γαμητέον, συνευγμέναι δὲ εἰ βασιλεῖ γαμητέον.

Cf. praeterea: H. p. 4, 12 sequ. et Th. p. 74, 8 seqq.; H. p. 7, 15 et Th. p. 98, 25 (cf. infra); H. p. 9, 20, 23, 10, 1 et Th. p. 106, 10, 13; H. p. 10, 28 seqq. et Th. p. 108, 7, 10 seqq.; H. p. 15, 28 seqq. et Th. p. 115, 22 seqq.; H. p. 17, 11 sequ. et Th. p. 120, 14 et per multa alia id genus.

#### Ad IV:

Cap. π. μυθ. cf. A. p. 21, 2 sequ.: ἐστὶ δὲ μῦθος λόγος ψευδῆς εἰκονίζων ἀλήθειαν. Th. p. 72, 28: Μῦθος ἐστὶ λόγος ψευδῆς εἰκονίζων ἀλήθειαν (cf. p. 59, 21 sequ.).

Cap. π. διηγ. cf. A. p. 22, 10 seqq.: ἀρετὰ δὲ διηγήματος τέσσαρες, σαφήνεια, συντομία, πιθανότης καὶ ὁ τῶν ὀνομάτων ἑλληνισμός. Th. p. 79, 20 sequ.: Ἀρετὰ δὲ διηγήσεως τρεῖς, σαφήνεια, συντομία, πιθανότης (cf. p. 81, 3 seqq.).

Cap. π. χρείας. cf. A. p. 23, 8 seqq.: οἷον Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς πόσος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων ὁ βίος, βραχὺ τι φανείς ἀπεκρύψατο, μέτρον τοῦ βίου τὴν θέαν ποιούμενος. Th. p. 99, 6 seqq.: οἷον Πυθαγόρας ὁ φιλόσοφος, ἐρωτηθεὶς πόσος ἐστὶν ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, ἀναβὰς ἐπὶ τὸ δωμάτιον παρέκυψεν ὀλίγον, δηλῶν διὰ τούτου τὴν βραχύτητα.

A. p. 23, 6 sequ.: οἷον Πλάτων τοὺς τῆς ἀρετῆς κλῶνας ἰδρῶτι καὶ πόνοις ἔλεγε φύεσθαι. Th. p. 100, 12 sequ.: οἷον Πλάτων ὁ φιλόσοφος τοὺς τῆς ἀρετῆς κλῶνας ἔφη ἰδρῶτι καὶ πόνοις φύεσθαι.

Cap. π. ἐκφρ. cf. A. p. 46, 18 seqq.: πρόσωπα μὲν ὥσπερ Ὅμηρος [ἐν τῇ Ὀδυσσεύᾳ περὶ τοῦ Εὐρυβάτου] — γυρὸς ἔην ὦμοισι, μελάγχροος, οὐλοκάρηνος. Th. p. 118, 8 seqq.: γίνεται δὲ ἐκφρασις . . . προσώπων μὲν οὖν, οἷον τὸ Ὀμηρικόν, — γυρὸς ἔην ὦμοις, μελανόχροος, οὐλοκάρηνος.



Cf. praeterea A. p. 23, 2 seqq. et Th. p. 96, 19 sequ., 97, 7 sequ.; A. p. 32, 24 sequ. et Th. p. 106, 30; A. p. 53, 24 seqq. et Th. p. 128, 23, 129, 5 seqq.; A. p. 53, 29 seqq. et Th. p. 129, 7 seqq. et quae sunt similia.

Ex his a me allatis locis haec duo cogere possumus, primum Hermogenem, Aphthonium Theonemque inter se mirum in modum conexos esse, deinde cum Hermogenem et Aphthonium, tum Hermogenem et Theonem inter se aptius cohaerere, quam Theonem cum Aphthonio.

Postquam igitur satis demonstravisse mihi videor, hos, de quibus agere institui, rhetores inter se conexos et aptos esse, iam quaestio oritur, quisnam aetate antecesserit duobusque ceteris auctor et quasi fons praeceptorum rhetoricorum fuerit et quonam unusquisque floruerit tempore. Qua de re, cum de Hermogenis tantum aetate certa quaedam tradita sint, coniecturae hominum litteratorum valde discrepant. Priusquam igitur, quae mihi videantur, exponam, quae apud veteres scriptores et recentiores viros doctos, qui de hac re egerunt, legantur, me referre necesse est.

De Hermogene Suidas<sup>1)</sup> s. v. Ἑρμογένης haec tradit: Ἑρμογένης Ταρσεύς, ὁ ἐπὶ κλην ξυστήρ, σοφιστής· οὗ διήκουσε καὶ Μουσώνιος ὁ φιλόσοφος. γέγονε δὲ ἐπὶ Μάρκου τοῦ βασιλέως, εὐφύεστατος, καὶ τῆς ἡλικίας αὐτοῦ ἐνδεεστέρας ὑπαρχούσης μᾶλλον ἢ φρόνησις ὑπερεῖχεν....

Fuit igitur Hermogenes<sup>2)</sup> natione Tarsensis, cognomine ξυστήρ, id est, sculptor appellatus, quod aut

<sup>1)</sup> Suidae lexicon, ex recognitione J. Bekkeri 1854.

<sup>2)</sup> De aliis huius nominis cf. Paulum, Realencyclopaedie s. v. Hermogenes et Westermannum, Geschichte der Beredsamkeit in Griechenland und Rom, I. Teil, p. 219, 3.

homo vehementis ingenii erat aut quasi scalpro sive sua scripta deradebat sive alios dictionem deradere docebat<sup>1)</sup>; eum enim praecepta eloquentiae iuventuti tradidisse ex vocabulo adiecto σοφιστής cognoscimus. Quo autem tempore fuerit, demonstrat Suidas verbis γέγονε δὲ ἐπὶ Μάρκου τοῦ βασιλέως (Marcus Aurelius Antoninus ab a. 161 usque ad a. 180 p. Chr. n. imperio Romano praefuit); sed ad hoc tempus non quadrant, quae antecedunt — οὗ διήκουσε καὶ Μουσώνιος ὁ φιλόσοφος —; Musonius enim, philosophus Stoicus, Nerone imperante, alius Musonius, discipulus Proaeresi rhetoris, imperante Ioviano vivebat (cf. Suid. s. v. Μουσώνιος). Ergo aut Suidas in errore versatur, aut Musonius, quem ille affert, illo Musonio, Stoico philosopho, iunior est, fortasse is, de quo apud Aristidem rhetorem mentio (Vol. I. p. 551 ed. Dind.)<sup>2)</sup>.

Praeterea ex Philostrati verbis, quae Suidas affert, intellegimus, Hermogenem quindecim annos natum (τέττη γεγονώς) iam tam praeclaram eloquentiae famam — τῆς τῶν σοφιστῶν δόξης — assecutum esse,

<sup>1)</sup> cf. Paul. Realencyclopaedie s. v. Hermogenes et Fabricium B. Gr. VI. p. 69.

<sup>2)</sup> cf. Fabricium; idem putat, hunc Hermogenem nepotem aut propinquum illius Hermogenis fuisse, quem Domitianus teste Suetonio occidit (cf. C. Suetoni Tranquilli de vita Caesarum lib. VIII. c. 10. p. 247 ed. C. L. Roth.; Item (scil. occidit) Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras, librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis). Equidem mihi persuadere non possum, hunc, de quo agimus, Hermogenem illius a Domitiano interfecti Hermogenis Tarsensis nepotem fuisse; nam fac filium illius Hermogenis, quem a Domitiano interfectum esse constat, extremo imperio Domitiani (a. 96) natum esse, hic, cum Hermogenes, de quo agitur, in lucem ederetur (vide infra), iam circ. 65 annos natus fuisset; quae ratio cum minus probabilis sit, hoc in medio relinquam.

ut etiam imperator Marcus Aurelius Antoninus eum audiret et admiraretur<sup>1)</sup>. Sed ille iuvenis optima spei non diu valebat ingenio; postquam enim vix c. duodeviginti vel viginti annos natus — *περὶ τὸν ἢ κ' χρόνον γενόμενος* — *περὶ στάσεων βιβλίον ἓν, περὶ ἰδεῶν λόγου βιβλία β'*<sup>2)</sup> *περὶ κολῆς Συρίας β'* scripsit, mox — *γενόμενος περὶ τὰ κδ' ἔτη*<sup>3)</sup> *ἐξέστη τῶν φρενῶν καὶ ἦν ἄλλοις αὐτοῦ* — mentis acies eius obtusa est neque cam, licet diu vixisset et summa senectute diem obisset extremum — *ἐτελεύτησε ἐν βαθεῖ γῆραι* (Philostr.)<sup>4)</sup> — recuperavit. Quo factum est, ut, qui antea omnes admiratione affecisset, tum cum aliis tum Antiocho sophistae (cf. illius verba apud Phil.: *Ἑρμογένης δ' ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γηράσκουσι παῖς*) ludibrio esset.

<sup>1)</sup> cf. Dio. Cass. LXXI (vol. IV. p. 170 ed. Dind.): αὐτὸς (scil. Μάρκος Ἀντωνίνος) μὲν γὰρ ἀσθενὴς ἦν τῷ σώματι καὶ τὰ πολλὰ λόγοις ἐσχόλαζε, λέγεται γὰρ καὶ αὐτοκράτωρ ὦν μὴ αἰδέσθαι [μηδὲ δύναιτο] ἐς διδασκάλου φοιτᾶν, ἀλλὰ καὶ Σέξτω προσιέναι τῷ ἐκ Βοιωτῶν φιλοσόφῳ, καὶ ἐς ἀκρόασιν τῶν ῥητορικῶν Ἑρμογένους λόγων μὴ δυνῆσαι παραγενέσθαι; deinde scholion in primum caput libri περὶ στάσεων [in ann. ad Philostr. II, 7 vit. soph. ed. Olear. Lips. MDCCIX] ἦν δὲ Ἑρμογένης τῷ γένει Ταρσεύς, υἱὸς Καλλιπποῦ, . . . . . Τοῦτου νέου ὄντος τῇ διατριβῇ ἐπεφοίτα πολλάκις ὁ αὐτοκράτωρ Μάρκος, ἀκροασόμενος; tum scholion cod. Rhed. a Paulo Schaefero in diss. Vratisl. (de Aphthonio sophista, MDCCCLIV) p. 3 allatum: *μάρκος βασιλεὺς νομοτρίβει τε ὄντι καὶ φιλολογιάτῳ φίλος ἦν ἐς τὰ μάλιστα Ἑρμογένης ὁ σοφιστής* . . . .

<sup>2)</sup> cf. scholion in I. cap. I. *περὶ στάσεων*: *ἐπτακαίδεκα μὲν ὄν τῶν γεγονῶς τὸ παρὸν βιβλίον ἔγραψε, εἰς τρία δὲ καὶ εἰκοσι προσελθὼν χρόνον τὸ περὶ ἰδεῶν ἐξέδωκε σύνταγμα.*

<sup>3)</sup> cf. schol. in I. cap. I. π. στα.: *ἐν δὲ τῷ εἰκοστῷ καὶ πέμπτῳ ἐξελάθετο.*

<sup>4)</sup> Cur Nicolaus in altera editione historiae litterariae (vol. II. p. 441) Hermogenem vicesimum quintum aetatis annum agentem mortuum esse contendat, non intellego.

Haec fere sunt, quae Suidas et Philostratus, cuius verba ille affert, de Hermogene referunt. Quamvis autem copiose Suidas vitam et scripta Hermogenis, cum libros de Coelesyria duos ab aliis non commemoratos<sup>1)</sup>, afferat, exponat, tamen illius ipsius libri, de quo hoc loco agendum est, progymnasmatum dico, mentionem non facit; sed nihilo setius Hermogenem progymnasmata scripsisse constat. Nam primum Priscianus ea in sermonem Latinum convertit et „praeexercitamenta rhetoricae ex Hermogene“ inscripsit; deinde Tzetzes (Chil. VI. hist. 79) progymnasmatum mentionem facit, cum dicit:

*Ῥητορικὴν μὲν γίνωσκε τὴν δικηγόρων τέχνην,  
τὴν βίβλον Ἑρμογένους δὲ σοφιστικὴν με καλεῖν.*

*Αὕτη δὲ σοφιστεύουσα ῥητορικῆς ἢ βίβλος*

*Πεντάβιβλος ὑπάρχει μὲν, εἰς πέντε διαιρεῖται,*

*Εἰς τε τὰ προγυμνάσματα, στάσεις καὶ τὰς εὐρέσεις,*

*Ἰδέας καὶ πρὸς μέθοδον δεινότητος σὺν τούτοις.*

(cf. Chil. XI. hist. 369); tum alii, qui de rhetorica scripserunt, velut Joannes Doxopater, scholiasta Aldinus, Syrianus, Nicephorus Basilaca, Georgios Pletho (cf. Walz. Rhet. Graec. vol. I. p. 5 sequ.) Hermogenem progymnasmata composuisse testantur (cf. praeterea scholion, quod P. Schaefer in diss. Vratisl. p. 3 affert: αὐτὸς οὗτος καὶ αὖθις ὁ δηλωθεὶς Ἑρμογένης ἕτερα συντάξε προγυμνάσματα τὸν ἀριθμὸν ὄντα ἱβ πρὸς τοῦτο συντείνοντα). Quod autem Suidas προγυμνάσματα ignorat, non mirum videtur, quoniam subtilitatem illius lexicographi omnino haud ita magnam esse constat; accedit, quod illis temporibus προγυμνάσματα Hermo-

<sup>1)</sup> De aliis scriptis Hermogenis vide West. p. 220, a et Paul. s. v. Hermogenes.

genis iam pridem libello Aphthoni ex usu scholarum remota et oblivione obruta erant (vid. infra).

Jam ad Aphthonium transeamus.

Complures quidem Aphthonii fuerunt (cf. West. p. 233, 16, Walz. I. p. 55 sequ., Schaef. p. 26 sequ.), sed progymnasmatum, quae adhuc exstant, scriptor<sup>1)</sup> certe is est, qui a Georgio Plethone (Walz. I. p. 6, δ' Ἀντιοχέδης Ἀφθόνιος) et in scholio cod. Rhed. Vratisl. (Ἀφθόνιος ἀντιοχέδης δ' οὐρός) Antiochenus<sup>2)</sup> nominatur et, ut est apud Suidam, progymnasmata in artem Hermogenis scripsit (Suidas s. v. Ἀφθόνιος: Ἀφθόνιος σοφιστῆς ἔγραψεν εἰς τὴν Ἑρμογένους τέχνην προγυμνάσματα<sup>3)</sup>). Videmus igitur, Aphthonium sophistam post Hermogenem vixisse; praeterea autem ex Suidae verbis colligere possumus, Aphthoni auctoritatem postero tempore in scholis ita praevaluisse, ut progymnasmata Hermogenis paulatim oblivione obruerentur et ex usu scholarum removerentur, in eorum autem locum substituerentur Aphthoni progymnasmata.

<sup>1)</sup> Quod Heumannus (ap. Walz. I. p. 56, ann. 4) Aphthonium quendam professorem eloquentiae Alexandrinum a Philostorgio (l. III. c. 15) commemoratum auctorem progymnasmatum esse, ex eo conicit, quod in cap. 12 (p. 47 ed. Speng.) progymnasmatum tam accurate arx et bibliotheca Alexandrina describitur, id parum constat; persaepe enim scriptores posterioris aetatis ex libris veterum scriptorum nonnulla excerpterunt et ab aliis depicta pro suis praedicaverunt.

<sup>2)</sup> Quod P. Schaeferus (in diss. Vratisl. p. 5 ann.) contendit, Suidam s. v. Ἀφθόνιος Antiochenum appellare Aphthonium, ego non inveni.

<sup>3)</sup> Idem libellus in Etym. Magn. inscribitur: Ἀφθόνιος εἰς προγυμνάσματα τῆς ῥητορικῆς cf. Walz. I. p. 57 sequ. Alia, quae Aphthonius scripsisse dicitur, leg. ap. West. p. 234, 20 et P. Schaef. p. 28 sequq.

Post Hermogenem fuisse Aphthonium et ex Tzetzze intellegimus, qui Chil. XI. hist. 369 haec disserit:

Καὶ τὰ μὲν προγυμνάσματα κατὰ τὸν Ἑρμογένην.

Εἰς ἀριθμὸν εἰς δώδεκα ποσότητι προσβαίνει.

— — Ἀφθόνιος δ' ὑστέρω

Τὰ δώδεκα ἐποίησε τέσσαρά τε καὶ δέκα.

Ergo Aphthoni postea ex duodecim fecit quattuordecim<sup>1)</sup>.

Haec sunt, quae apud veteres de aetate Aphthoni invenire possumus; alii enim, qui Aphthonium commemorant, Photius, Eustathius, Thomas Magister, Georgius Pletho de aetate huius rhetoris omnes ad unum silent. Recentiores igitur viri docti ad coniecturas confugerunt.

Et Fabricius quidem (B. Gr. VI. p. 94 sequq.) Aphthonium Aristide, cuius orationem ὑπὲρ τῶν τεσσάρων laudat (p. 44, 30 ed. Speng.) et Hermogene iuniorum quidem esse statuit, sed quot annis vel saeculis dicere non audet. Deinde Saxius in Onom. litterar. I. p. 394 aetatem Aphthoni et Theonis ad a. p. Chr. circa 315 refert, cum ab hac ipsa sive superioris, sive huius saeculi aetate sophistarum feracissima neutrum divelli et seiungi velit. Certius Schefferus Aphthoni aetatem definire tentavit. Ex verbis enim Tzetzis, quae supra attuli, et ex eo, quod etiam apud Libanium quattuordecim progymnasmata reperiuntur,

<sup>1)</sup> Rectius dixeris, Aphthonium duo progymnasmata in quattuor divisisse; propriam enim encomio et reprehensioni, refutationi et confirmationi tribuit institutionem (cf. schol. cod. Rhed. Vratisl.: ἐκείνου (scil. Ἑρμογένους) μὲν γὰρ ἐν μιᾷ καὶ αὐτῇ διδασκαλίᾳ τὸ τε ἐγκώμιον καὶ τὸν φόγον διδάσκοντος, οὗτος δὲ ἰδίαν ἀπένευμεν ἐκάστη διδασκαλίαν, ἰδίαν μὲν ἐγκωμίων καὶ αὐτὴν ἰδίαν φόγον, καὶ περὶ ἀνασκευῆς δὲ καὶ κατασκευῆς ὁμοίως).

Aphthonium hoc ipso intervallo, quod intercedit inter Hermogenem et Libanium, floruisse colligit. Quam opinionem (Aphthonium sub saec. III. finem et saec. IV. initio vixisse) Westermannus et Paulius et Nicolaius in priore editione hist. litt. Graec. secuti sunt; hic autem in altera editione in Pauli Schaeferi discessit sententiam, qui in dissertatione Vratisl. p. 13 hunc rhetorem quarto saeculo exeunte et quinto ineunte vixisse statuit.

Jam vero ad illum progymnasmatum scriptorem venimus, de cuius aetate nihil omnino veteres tradunt, Theonem sophistam dico.

Ac Theones quidem Suidas<sup>1)</sup> complures enumerat interque eos etiam quattuor sophistas, sed unum laudat, qui progymnasmata scripserit. De hoc igitur progymnasmatum scriptore, quem secundo loco affert, haec tradit: Θεών Ἀλεξανδρεὺς σοφιστής, ὃς ἐχρημάτισεν Ἀἴλιος, ἔγραψε τέχνην, περὶ προγυμνασμάτων<sup>2)</sup>, ὑπόμνημα εἰς Ἐενοφῶντα, εἰς Ἰσοκράτην, εἰς Δημοσθένην, ῥητορικὰς ὑποθέσεις, καὶ ζητήματα περὶ συντάξεως λόγου καὶ ἄλλα πλεονα.

Fuit igitur Theo sophista (vid. supra), cognomine Aelius, gente Alexandrinus. Hunc autem Theonem progymnasmatum, quae ad nos pervenerunt, esse auctorem, consentiunt fere omnes, qui de Theone scripserunt, ut Camerarius in epistula ad Andream Francum Camicianum Theoni suo praemissa, Schefferus

<sup>1)</sup> Suidas s. v. Θεών; cf. Walz. I. p. 137 seqq., Paul. s. v. Theo, West. p. 230, 233, Nicol. hist. litt. Gr.

<sup>2)</sup> Unius scripti titulum esse verba τέχνην περὶ προγυμνασμάτων Fabricius et Finckhii (in edit. Theonis p. XIII) consent; de aliis huic Theoni attributis scriptis cf. Walz. I. p. 138, Paul. s. v. Theo, West. p. 234, 20, Finckh. p. XIII sequ.

ad frontem notarum, quas composuit in Theonem, Fabricius B. Gr. vol. VI. p. 97 sequ., Spaldingius ad Quintil. Inst. Or. III, 6, 48. Quando vero vixerit, neque a Suida neque ab ullo alio vetere scriptore traditur; quibus igitur coniecturis ex ipso progymnasmatum libro depromptis aetatem Theonis definierint recentiores viri docti quantumque hac in re inter se discrepent, iuvat paucis illustrare.

Camerarius (1541) aetatem Theonis definire omnino non audet; dicit enim in epistula dedicatoria editioni Theonis praemissa: Quis autem hic auctor fuerit, et quo tempore floruerit, certo affirmare non possum. Illum quidem hunc accipio, qui sibi Aelii cognomentum sumpsisse a Suida et Alexandrinus fuisse perhibetur.

Schefferus (1670[80], ad frontem not. suar. in Theonem) Theonem Aphthonio saltem fuisse vetustiorē putat.

Fabricius (1705 — 28, in B. Gr. vol. VI. p. 97 sequ.) eum Hermogene et Aphthonio inferiorem facit.

Lederlinus (1737, in fronte exempli editionis Heinsianae a Finckhio in praef. edit. Theonis p. VII. memorati) eum quinto saeculo p. Chr. vixisse opinatur.

Saxius (1775 — 1804, in On. litterar. I. p. 394) cum anno p. Chr. n. 315 cum Aphthonio assignat.

Spaldingius (1798 — 1816, ad Quint. Inst. Or. III, 6, 48) monet, nihil esse, cur Theonem post Hermogenem et Aphthonium fuisse putemus.

Groddeckius (1821 — 23, in Initiis hist. Graec. liter. I. 2. p. 176) eum post Longinum, qui a. 213 natus erat, vixisse arbitratur.

Walzius (1832, in *Rhet. Graec.* vol. I), ut opinor, in Schefferi, quam supra attuli, sententia acquiescit.

Westermannus (1833, in *hist. eloqu. Graec.*) Theonem tertio p. Chr. saeculo exeunti et quarto ineunti adscribere videtur.

Finckhius (1834, in edit. Theonis p. XII sequ.) eum Hermogene et Aphthonio superiorem esse censet.

Fritschius (1839, in *comment. de orig. atque indole progymn. rhet.* part. I. p. 27) cum iis facere se non posse dicit, qui eorum, quae progymnasmatum libellis contineantur, maxime Theonem principem et quasi architectum appellare non dubitent.

Apud Paulium (1852, *Realencycl. s. v. Theo*) legimus: Sein (scil. Theonis) Zeitalter lässt sich mit Sicherheit nicht bestimmen, doch lebte er wohl vor Hermogenes und Aphthonius, welche allem Anscheine nach bei ihren progymnasmatischen Schriften ihn als Vorbild benutzt haben<sup>1)</sup>.

Paulus Schaefer (1854, in *diss. Vrat.* p. 10, ann.) Hermogenem antiquissimum rhetorem Graecum esse contendit, cuius progymnasmata servata sint.

In *diss. Caroli Gisei* (de Theone grammatico, *Monasterii* 1867) p. 16 haec leguntur: si verum esset, quod minime constat (!), Hermogenem atque Aphthonium

<sup>1)</sup> Hoc loco erroris, qui invenitur apud Paulium in annotatione Guil. Teuffeli paucis mentionem facere haud ineptum esse mihi videtur; annotat enim G. Teuffelius; Kampe in *Jahn's Jahrb. Suppl.* XI. S. 233—55 und dagegen Finckh ebendasselbst XII S. 165—80; fallitur; nam primum Kampius illo loco non de aetate, sed de scripto Theonis agit; deinde ille Finckhius ipse Theonem ante Hermogenem et Aphthonium fuisse censet; tum Kampius ubi in transitu aetatem Theonis (p. 253) commemorat, Finckhi sententiam comprobatur.

in studiis progymnasticis Theone usos esse auctore . . . ., floruisse Theonem initio saeculi secundi p. Chr. necesse esset concluderemus. Utrum vero Hermogene Theon usus sit, an Theone Hermogenes, pro certo statuere vereor.

Nicolaius, ut in priore editione *hist. litt. Graec.* I. p. 386 (1865), Theonem post Aphthonium vixisse censet, ita in altera editione II. p. 451 (1876) Aphthonium fontem, unde Theo hauriret sua, fuisse contendit.

Quoniam igitur, cui aetati cum Aphthonius tum Theo sit assignandus, viros doctos usque ad hoc tempus inter se tantopere discrepare apparet, de aetate horum progymnasmatum scriptorum denuo quaestionem instituere certe operae pretium est. Qua in quaestione, cum tantum, quando Hermogenes fuerit, satis certo constet, ab illo ordiemur.

Ex Philostrato, cuius verba Suidas s. v. Ἑρμογένης affert, Hermogenem quindecim annos natum ab imperatore Marco Aurelio Antonino magna cum admiratione esse auditum scimus. Marcum Aurelium autem, qui ab a. p. Chr. n. 161 usque ad a. 180 imperio Romano praefuit, anno 175, quod Avidius Cassius seditionem commoverat [imperatorem se in oriente appellavit — *Script. Hist. Aug. Vulc. Gallic.*, *Avid. Cass.* c. 7, vol. I. p. 82 ed. H. Peter] in orientem profectum esse constat. Hac expeditione Hermogenem convenisse videtur aut Smyrnae (cf. Walz. vol. IV. p. 30) aut fortasse in ipsa rhetoris patria.

Verisimillimum enim est, imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, quamquam ille seditionis concitator statim interfectus erat (*Jul. Cap. M. Ant. Phil.* c. 25), ante omnia Syriam petiisse, ut illam provinciam, quae causae Cassi maxime faverat, pacaret. Illo autem

tempore Antiochensibus quidem, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant, ignovit, sed urbem eorum adire noluit (Jul. Cap. c. 25). Deinde eum, ut et hanc provinciam pacaret, in Aegyptum esse profectum opinor (Cap. c. 26; Dio Cass. Epitome lib. LXXI, 28 ed. Dind.). Rebus in Aegypto satis constitutis rursum Syriam petiisse et tum Antiochiam vidisse mihi persuasum est. Interea autem annus 175 praeterisse videtur et aliqua pars anni 176, quo anno Marcum ex Syria revertentem etiam in Ciliciam venisse ex verbis J. Capitolini c. 26 — Faustinam suam in radicibus montis Tauri in vico Halalae exanimatam vi subiti morbi amisit (cf. D. C. c. 29) — colligere mihi licere arbitror. Atque illo ipso tempore Marcus, ni fallor, adolescentem Hermogenem audivit et admiratus est. Ex Cilicia autem Athenas indeque in Italian profectus est (J. C. c. 27; D. C. c. 31 sequ.).

Quodsi recte conieci, Marcum Aurelium anno 176 auscultasse Hermogenem, sequitur, ut Hermogenes anno 161, i. e. primo anno imperii Marci Aureli Antonini natus sit. Cum autem brevissimum tempus esset sana mente, floruit Hermogenes circiter ab anno 176 usque ad annum 186 p. Chr. n.

Jam ad Aphthonium transeamus, quem post Hermogenem, ergo post secundum saeculum p. Chr. n. vixisse ex Suidae et Tzetis verbis, quae supra attuli, et ex scholii cod. Rhed. Vratisl., a Schaefero in diss. Vratisl. p. 3 allati, verbis: ἐπεὶ δὲ καὶ ταῦτα (scil. Ἑρμογένους προγυμνάσματα) ἀσαφῆ πως ἐδόκουν καὶ δύσληπτα, ἅτε ὄντα ἀπαραδειγμάτιστα, ἕτερα ἀντὶ τούτων ἐξέθεντο ἄλλοι τε καὶ πολλοὶ τῶν ῥητόρων καὶ δὴ καὶ ὁ παρὼν σοφιστὴς ἀφθόνιος, οὗ καὶ μᾶλλον προεκρίθησαν ἀναγινώσκασθαι ὥς σαφέστερα· δῶδεκα ὄντα ἅπερ ὁ ἐρ-

μογένης συνέταξεν, οὗτος εἰς δεκατέσσαρα ταῦτα διεῖλε certo concludendum est.

Nascitur igitur quaestio, quo tandem floruerit saeculo Aphthonius. Qua in re magna oritur difficultas; nam neque ex ipsius verbis aut ex interpretum commentariis quidquam colligi potest, quod ad aetatem eius accuratius definiendam afferat lucem, neque veteres scriptores, qui hunc rhetorem commemorant (cf. supra), aetatis eius mentionem faciunt; quam ob rem viri docti recentiores ad coniecturas perfugerunt et omnes fere eum sub finem saeculi tertii aut initio saeculi quarti vixisse coniecerunt. Praecipue enim Schefferi opinio placuit, qui Aphthonium supra Libanium fuisse censuit (cf. supra).

Hanc autem Schefferi sententiam, qua viri docti diu acquieverant, Paulus Schaefer in dissertatione, quam saepe iam laudavi, refutare conatus est et, ut ego quidem opinor, refutavit. Innixus enim illo a me saepius commemorato scholio cod. Rhed. Vratisl., ubi Aphthonius discipulos Libani et Phasgani — ἀφθόνιος ἀντιοχεὺς ὁ σύρος ὁ λιβανίου καὶ φασγανίου μαθητῆς — nominatur, Aphthonium quartosaeculo exeunte et quinto ineunte floruisse statuit. Cui scholio quantumtribuendum sit auctoritatis, cum Schaeferus in dissertatione sua multis confirmet argumentis, nihil est, cur Schaefero non assentiamur<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Quod Libanius ἀνασκευὴν et κατασκευὴν, ἐγκώμιον et φόγον seorsum tractavit, inde Scheffero, illis Tzetis verbis (cf. p. 19) nixo, colligere non licuit, Libanium post Aphthonium floruisse; nam Libanius non doctrinam progymnasmatum, sed specimina tantum (παραδείγματα προγυμνασμάτων cf. West. p. 338 seqq.) scripsit; in speciminibus autem concinnandis destructionem et assertionem, laudem et vituperationem non seorsum tractare non potuit.

Cuius ut accedam sententiae, hac etiam ratione adducor.

Nam primum disciplinam quandam progymnasmatum esse compositam, postea, cum haec praexercitamentorum praecepta longe lateque fluxerint atque ab omnibus probata sint, specimina progymnasmatum composita et cum praeceptis coniuncta esse, consentaneum est. Magis magisque autem contrahebantur praecepta, augebantur specimina, dum postremo illa omitterentur et haec sola conscriberentur. Theo quidem plenam atque perfectam progymnasmatum rationem instituit, Hermogenes autem iam tenuiora dat praecepta, denique Aphthonius ea etiam magis amputat et in specimina concinnanda maximam confert diligentiam. Ut Aphthonius, ita etiam Nicolaus (quem circ. ab a. 457 usque ad a. 517 p. Chr. n. vixisse scimus), si eius retractationem et amplificationem Aphthonianorum aliorumque progymnasmatum missam facimus, speciminibus conscribendis maiorem videtur adhibuisse curam quam praeceptis proponendis. Posteriori autem tempore progymnasmatum scriptores in praeceptis iam antea datis acquieverunt et specimina tantum composuerunt, velut Nicephorus Basilaca (sub annum 1180), Georgius Pachymeres (s. a. 1310), Anonymus apud Walzium vol. I. p. 597 seqq. Ergo etiam hac de causa Aphthonius posteriori aetati, quae specimina ad praecepta, quae iam antea erant data, accommodata componebantur, quin assignandus sit, equidem non dubito.

Jam vero Theonem, cuius de aetate veteres nihil omnino tradiderunt, viri docti recentiores alii ante Hermogenem, alii inter Hermogenem et Aphthonium, alii post Aphthonium floruisse statuerunt.

Quae cum ita sint, de hoc progymnasmatum scriptore copiosius nobis erit disputandum.

Atque hoc quidem pro certo est statuendum, Theonem Aphthonio fuisse vetustiore; nam primum apud Aphthonium praecepta adeo coartata atque amputata, specimina tantopere aucta atque dilatata sunt, ut hunc potius quam illum pro epitomatore et imitatore habeamus necesse sit; facilius enim specimina componi et ad praecepta iam data accommodari quam praecepta ipsa proponi mihi videntur. Deinde, si Theo infra Aphthonium fuisset, mirum certe esset, si ille, cum etiam Hermagoram et Theodorum Gadareum afferret, Aphthoni, clari illius sophistae, cuius progymnasmata etiam Hermogenis libellum brevi tempore ex usu scholarum removerant, mentionem facere omisisset; contra Aphthonio, qui nullo fere loco ne significat quidem eos, qui ante eum similia tractaverant, Theonem commemorare non licuit. Tum apud Theonem laudatio et vituperatio coniunctae sunt, quas auctore Tzetze (cf. p. 19) primus divisit Aphthonius.

Cum igitur, quin Theo ante Aphthonium floruerit, haud dubium sit, quaestio restat, uter vetustior sit, Hermogenes an Theo.

Atque Theonem quidem cur infra Hermogenem fuisse putemus, nulla idonea causa afferri potest; at permultis adducimur causis, ut Theonem suo Marte, ut dicitur, librum composuisse neque aliorum scripta adhibuisse aut compilasse censeamus et inde vetustissimum esse colligamus scriptorum, quorum progymnasmata exstant. Cum enim Hermogenes et Aphthonius abrupte in medias res cadant, Theo, ut est operi ex omnibus partibus absoluto atque perfecto aptum, libello suo praefationem praefigit, qua cum

alia, tum progymnasmata non solum, ut Theonis verbis ular, τοῖς τὴν ῥητορικὴν δύναμιν ἀναλαμβάνουσιν (τοῖς μέλλουσι ῥητορεύειν), ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἢ ποιητῶν ἢ λογοποιῶν ἢ ἄλλων τινῶν λόγων δύναμιν ἐθέλει μεταχειρίζεσθαι maxime necessaria et utilissima esse demonstrantur et magistris egregia quaedam praecepta dantur.

Deinde praecepta Theonis omnibus numeris absoluta et plerumque Hermogenis et Aphthoni uberiora et copiosiora esse luce clarius est (cf., ut ex multis locis paucos afferam, p. 97, 11 seqq., p. 106, 10 seqq., p. 115, 6 seqq., p. 115, 20 seqq., p. 118, 21 seqq., p. 120, 19 seqq., p. 120, 31 seqq., p. 121, 15 seqq., p. 129, 7 seqq. et id genus alia).

Quid vero dicendi elegantia et sententiarum subtilitate, qua liber est conscriptus, interiore veterum scriptorum cognitione et rectissima virtutum atque vitiorum eorum aestimatione nonne impellimur, ut eum vestigia Hermogenium Aphthoniorumve persequi potuisse negemus? Quae cognitio veterum scriptorum tanta est, ut, nisi quibusdam impediremur causis, Theonem illorum saec. III. et II. a. Chr. n. grammaticorum Alexandrinorum aetati sine ulla dubitatione assignaremus.

Jam vero Hermogenes tam saepe priores artis progymnasmatum magistros et scriptores respicit, etsi non nominat, ut permultis in rebus ab aliorum iudicio eum nimis pendere appareat (cf. p. 4, 20 sequ., p. 6, 15 seqq., p. 14, 12 sequ., p. 17, 1 sequq., p. 17, 33 sequ., p. 18, 18 sequ.; deinde p. 3, 1, 3, 10, 11, 12, p. 4, 13, 14, 28, 29, p. 11, 23, 29, p. 12, 2, p. 15, 14, p. 16, 11, p. 17, 10, p. 18, 21)<sup>1)</sup>. Concedendum quidem est, ne Theonem

<sup>1)</sup> Aphthonius uno tantum, ni fallor, loco (p. 53, 17) eorum, qui ante eum similia tractaverunt, mentionem facit, sive quod

quidem primum composuisse progymnasmata, id quod ipse confitetur p. 59, 15 sequ. (cf. p. 59, 18, p. 62, 10 seqq., p. 73, 9 seqq., p. 107, 15 seqq., p. 120, 2 seqq.)<sup>1)</sup>; sed si opponimus Theonis magnam in doctrina progymnasmatum tradenda ubertatem et, ut ita dicam, sui ipsius fiduciam, quae cum multis ex aliis rebus elucet, tum ex locis velut p. 59, 14 seqq.: ταῦτα νῦν πειράσομαι παραδοῦναι . . . οὐ μικρόν τι καὶ αὐτὸς ἐλπίζων συλλήψεσθαι τοῖς λέγειν προαιρουμένοις . . . ἕτερα ἅττα ἐπεξεύρομεν . . . ἐκάστου ὅρον ἐπειράθημεν ἀποδοῦναι . . . τὴν διαφοράν αὐτῶν πρὸς ἄλληλα δεδηλώκαμεν, . . . τὰς ἀφορμὰς . . . παραδεδώκαμεν . . . προσυπεδείξαμεν . . . ὥς ἂν τις αὐτοῖς ἐπιμελέστατα χρῆσαιτο (cf. praeterea p. 61, 20 seqq., p. 69, 21, p. 70, 22 seqq., p. 73, 9 seqq., p. 107, 15 seqq., p. 120, 2 seqq.), nemo profecto facere poterit, quin Theonem Hermogene vetustiore esse affirmet.

Quod ita esse eo magis nobis persuadebimus, si eos locos, quibus Theo et Hermogenes inter se congruunt (cf. supra), accuratius inspexerimus; quos locos omnes pertractare cum et longum sit neque necessarium, paucos tantum afferam.

In capite igitur περὶ χρείας (p. 96, 19 seqq.) Theo definitioni chriae statim γνώμην et ἀπομνημόνευμα adiungit et, quantum a chria differant, satis luculenter explicat; et recte quidem; nam γνώμην non seorsum ut progymnasma tractat (cf. infra). Hermogenes au-

eum quantopere penderet ab aliis confiteri pudebat, sive quod in doctrina progymnasmatum explicanda maximae studebat brevitate et summum consumeat studium in exemplis componendis.

<sup>1)</sup> Perperam igitur contendit Paulius s. v. Theo, Theonem primum de progymnasmatis scripsisse.



tem et ipse quidem, quo modo γνώμη et ἀπομνημόνευμα a chria differant, docet (p. 6, 5 seqq.); sed quo iure hoc loco illud discrimen afferat, ego non intellego; neque enim, ut Theo, praemisit γνώμην et ἀπομνημόνευμα παρακείσθαι χρεία, quare ille ea discernere cogitur, et iam in ipsa definitione chriae usus est voce ἀπομνημόνευμα. Ergo quae apud Hermogenem p. 6, 5 seqq. leguntur, ex Theone esse transcripta videntur. Praeterea in eodem capite verba Hermogenis p. 6, 15 seqq. ad Theonis cap. V. p. 97, 11 seqq. spectare manifestum est.

Deinde Hermogenem omnia fere, quae in capite περί ἐκφράσεως affert, a Theone mutuatum esse apparet, id quod, cum neminem fugere posset, iam Finckhius (in ed. Th. p. XII) ostendit his verbis: Praecipue vero Theonis totum caput undecimum (scil. pertinet), ab Hermogene c. X. ita redditum, ut praeter clausulam (significat, ni fallor, verba Hermogenis p. 17, 1 seqq.) paene nihil addiderit, omiserit ea, quae omittere epitomatoris erat, ut mentionem Philisti § 4 factam (ap. Speng. p. 119, 2 sequ.), quam, si Hermogenem ante oculos habuisset, Theonem additurum fuisse, quis credat?

Quae ut accuratius explicem haec addam: In primis conferendi sunt loci Theonis p. 118, 7 sequ. et Hermogenis p. 16, 11 sequ., 118, 8 seqq. et 16, 12 seqq., 119, 14 seqq. et 16, 22 seqq., 119, 27 seqq. et 16, 32 seqq.; deinde observanda sunt, quae Hermogenes p. 17, 1 seqq. dicit: ἵστέον δὲ ὡς τῶν ἀκριβεστέρων τινὲς οὐκ ἔδηξαν τὴν ἐκφρασιν εἰς γύμνασμα, ὡς προσηλυμένην καὶ ἐν μύθῳ καὶ ἐν διηγήματι καὶ ἐν τόπῳ κοινῷ καὶ ἐν ἐγκωμίῳ· καὶ γὰρ ἐκεῖ, φασὶν, ἐκφράζομεν καὶ τόπους καὶ ποταμούς καὶ πράγματα καὶ πρόσωπα.

ἀλλ' ὁμως, ἐπειδὴ τινες οὐ φαῦλοι καὶ ταύτην ἐγκληρίδμησαν τοῖς γυμνάσμασιν, ἠκολουθήσαμεν καὶ ἡμεῖς ῥαθυμίας ἐγκλημα φεύγοντες — quibus ex verbis colligere cogimur, eum praecipue hoc in capite non suo, sed aliorum usum esse iudicio; quid autem impedit, quominus, cum Theonis caput περί ἐκφράσεως tam apte cohaereat cum Hermogenis progymnasmate, censeamus, illum fuisse unum ex eis, qui ab Hermogene οὐ φαῦλοι nominantur?

Tum notandum, Hermogenem p. 16, 22 uti illo, ut ita dicam, artis Theonis proprio vocabulo ἐπιχειρεῖν (cf. p. 77, 23, 93, 13, 16, 94, 8, 95, 1, 105, 20, 22, 106, 15, 107, 19, 109, 12, 111, 11, 112, 16, 117, 6, 28, 119, 14, 121, 21, 24, 122, 20, 124, 24, 128, 2); quod vocabulum cum nisi p. 7, 4 nullo alio simili loco adhibeat Hermogenes<sup>1)</sup>, etiam hac de causa conicere velim, eum in hoc progymnasmate conscribendo magis quam in reliquo libro Theonem esse secutum.

Denique non est neglegendum, illos duos versus Homeri, qui apud Theonem leguntur p. 118, 11: γυρὸς ἔην ὦμοις, μελανόχροος, οὐλοκάρηνος. (Odyss. τ, 246 ed. Faes.) et p. 118, 13 sequ.: φορκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἑτερον πόδα, τῷ δὲ οἱ ὦμῳ κυρτῷ ἐπὶ στῆθος. (Il. B, 217 sequ. ed. Faesi) Hermogenem et Aphthonium tam fraterno, ut ita dicam, animo partitos esse, ut hic illum, ille hunc capiti suo περί ἐκφράσεως adiceret.

Similiter Hermogenis capitis περί θέσεως magnam partem ex Theone haustam esse nemo ignorabit. Itaque iam Finckhius p. XII locos affert, „quibus Hermogenes et Theo ita concinunt, ut non possit non

<sup>1)</sup> Hermogenes et Aphthonius similibus locis pro illo Theonis proprio verbo ἐπιχειρεῖν aliis vocabulis velut διαίρειν, ἐργάζεσθαι utuntur.

alter alterum ante oculos habuisse, ita discrepant, ut Hermogenes a Theone, non Theo ab Hermogene discessisse videatur. Pertinent huc loci Theonis c. 12, 1, 2, 5. (ap. Speng. p. 120, 13 seqq. et p. 121, 6 seqq.) coll. Hermog. c. 11, p. 50, 52 (ap. Walz.; ap. Speng. p. 17, 10 seqq., 17, 35 seqq., 17, 28 seqq.).<sup>4</sup>

Equidem hoc unum addam, Hermogenem p. 18, 13 dicere: οὕτω κατασκευάσεις, ἀνατρέψεις (= ἀνασκευάσεις) δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων, id quod per se nequaquam mirum videtur; sed si quis Theonem et Hermogenem accuratius perlegerit, non poterit non invenire ab Hermogene illud κατασκευάζειν praeter caput περὶ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς nullo alio nisi illo commemorari loco, cum apud Theonem, utpote qui assertionem et destructionem ut eximiam partem „τῆς διὰ τοῦ μύθου, τοῦ διηγήματος, τῆς χρείας, τῆς θέσεως, τοῦ νόμου γυμνασίας“ tractet, vocabula κατασκευάζειν, ἀνασκευάζειν, κατασκευῆ, ἀνασκευῆ saepissime legantur, velut p. 76, 9 κατασκευαστέον δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων, p. 78, 4 ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων τρόπων κατασκευάσομεν, p. 95, 2 ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων τρόπων κατασκευάσομεν. p. 121, 21 ἀνασκευάζονται δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων, p. 123, 2 ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἀνασκευαστέον, p. 125, 19 sequ. ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων εὐπορήσομεν εἰς ἀνασκευήν (cf. p. 60, 7, 64, 32, 65, 13, 20, 66, 31, 69, 18, 21, 70, 31, 74, 7, 76, 5, 8, 15, 77, 21, 29, 30, 78, 5, 6, 12, 80, 1, 86, 4, 5, 93, 5, 94, 13, 101, 5, 6, 104, 15, 105, 19, 121, 1, 19, 123, 8, 125, 31, 32, 128, 15, 20, 129, 3, 6, 7). Cum igitur Hermogenes illa Theonis propria voce rhetorica utatur, etiam ex hac re Hermogenem in cap. περὶ θέσεως componendo Theonis progymnasmata ante oculos habuisse elucet.

Tum etiam in capite περὶ νόμου εἰσφορᾶς Hermogenem Theonis vestigia secutum esse apparet. Quam-

quam enim Hermogenes p. 18, 26 seqq. κεφάλαια τῆς τῶν νόμων θέσεως (= κατασκευῆς νόμου apud Theonem, συνηγορίας νόμου τεθέντος apud Aphthonium) enumerat, tamen exempla κατηγορίας (= ἀνασκευῆς apud Theonem) affert p. 18, 31 seqq. Ergo inepte imitatus esse mihi videtur Theonem, qui ipse exempla destructionis proponit (p. 129, 11 seqq.), et id quidem recte; nam primum destructionem saepius et potius tractat quam assertionem (cf. cap. περὶ μύθου p. 76, 6 — 78, 3, cap. περὶ διηγήματος p. 93, 5 — 95, 2, 95, 3 — 96, 15, cap. περὶ χρείας p. 104, 15 — 105, 22, cap. περὶ νόμου p. 129, 7 seqq.; contra assertionis exempla invenimus in cap. περὶ θέσεως p. 121, 18 — 123, 2 et p. 123, 7 — 125, 19); deinde p. 65, 22 destructionis tantum legum mentionem facit; tum in cap. περὶ νόμου p. 129, 7 seqq. τόπους ἀνασκευῆς enumerat.

Quod cum hoc loco Hermogenem Theonis progymnasmate, etiamsi, ut ego quidem opinor, inepte, usus sit, etiam verba, quae p. 18, 18 sequ. leguntur — καὶ τὴν τοῦ νόμου εἰσφορὰν τάττουσί τινες ἐν γυμνάσμασιν — cum ad alios tum ad Theonem spectare videntur.

Denique conferenda sunt verba Hermogenis p. 4, 20 sequ. et quae infra p. 42 docebo, Herm. p. 11, 28 seqq. et Theonis caput περὶ ἐγκωμίου καὶ φόγου, Herm. p. 14, 12 seqq. et Theonis cap. περὶ συγκρίσεως. Sed haec hactenus.

Jam vero restat gravissimum argumentum, quo non possumus non persuadere nobis, ad Theonem referenda esse Hermogenis praecepta.

Theo enim progymnasmatis singulis suas definitiones dedisse contendit, cf. praef. p. 59, 19 sequ.: ἀλλὰ καὶ ἐκάστου ὅρον ἐπειράθημεν ἀποδοῦναι... Quae praefatio cum

procul dubio Theonī sit attribuenda (cf. p. 59, <sup>21</sup> sequ. et p. 72, <sup>28</sup>, p. 60, <sup>8</sup> seqq. et p. 78, <sup>10</sup> sequ., p. 68, <sup>1</sup> sequ. et cap. 7 π. τόπου, p. 65, <sup>22</sup> et p. 129, <sup>3</sup> et alia id genus), neque quidquam sit, cur Theonem hominem mendacem esse censeamus, sequitur, ut nemo dubitare possit, quin Theo illas definitiones primus singulis praefixerit praeexercitamentis. Quod cum Hermogenes progymnasmata fere omnia, Aphthonius omnia definiat, et ea ex parte iisdem fere verbis, Theonem vetustissimum esse horum scriptorum, quorum progymnasmata tradita sunt, satis apparet.

Haec igitur sufficere videntur, quibus, quae mihi proposita erant, comprobentur; quoniam autem omnia, quae ad hanc rem pertineant, peragere nobis in animo est (volumus quidem certe), haec duo accedant:

Primum est, quod, si Theo infra Hermogenem fuisset, maxime esset mirum, si Hermagoram et Theodorum Gadareum (p. 120, <sup>18</sup> seqq.) commemorasset, non commemorasset Hermogenem, sophistam ab aequalibus tantopere celebratum; alterum autem, quod, si Hermogenem ante Theonem floruisse sumimus, multo difficilius intellegitur, cur Theo γνώμην et ἀνασκευήν (cf. infra), quam si Theo ante Hermogenem scripsit, cur rettulerit Hermogenes (cf. Finckh. p. XII). Procul dubio enim aut Hermogenem, cuius progymnasmata usque ad Aphthoni et Prisciani tempora magna florebant auctoritate, secutus esset, aut, cur ab illo dissentiret, causas attulisset (cf. locos, quibus iis, qui ante eum progymnasmata composuerunt, quasi rescribit: p. 62, <sup>10</sup> seqq., 73, <sup>9</sup> seqq., 107, <sup>15</sup> seqq., 120, <sup>2</sup> seqq.).

Quod cum pro certo habendum sit, Theonem ante Hermogenem (et Aphthonium), id est, ante Marci Au-

reli Antonini imperium vixisse, nascitur quaestio, quamnam floruerit aetate; quae quaestio, cum, ut supra iam dixi, de aetate Theonis veteres scriptores nihil omnino tradiderint, neque quidquam in libello ipso reperiamus, unde cui aetati sit assignandus, certo colligere possimus, perdifficilis est neque plane dissolvi posse videtur. Nam hoc tantum ipso ex libello concludere possumus, non ante Augusti tempora vixisse Theonem; ultimi enim scriptorum, quos laudat, Hermagoras et Theodorus Gadareus sunt, quorum ille medio, hic extremo floruit saeculo I. a. Chr. n. Ergo hoc tantum pro certo dici potest, Theonem fuisse hoc intervallo, quod intercedit inter Augusti et Marci Aurelii tempora.

Verum si ad coniecturas confugere mihi licebit, etiam longius progrediar.

Ego quidem Theonem, elegantia atque ubertate, qua est liber conscriptus, et illa interiore veterum scriptorum cognitione, quae undique elucet, adductus, sine ulla dubitatione clarorum illorum Alexandrinorum adscriberem aetati, nisi Hermagorae et Theodori Gadarei mentio esset facta; quominus autem iisdem atque Theodorum temporibus floruisse, sed annis paulo minorem aequalem eum fuisse statuamus <sup>1)</sup>, nihil est, quod impediat. Immo vero causas esse, quibus, quae conieci, comprobentur, puto. Quod ut accuratius explicem, altius mihi erit repetendum.

<sup>1)</sup> Quam maximum temporis intervallum inter Theonem et Hermogenem intercedere, etiam propterea nobis persuadebimus, quod Hermogenes Theonis nomen omisit, quod, nisi illis temporibus integer Theonis libellus iam rarius usurpatus esset, vix omisisset. Accedit etiam, quod, cum Hermogenes, quem persaepe non suo, sed aliorum usum esse iudicio supra docuimus, etiam

Vocabulum προγύμνασμα in Aristotelis arte rhetorica ad Alexandrum, quam Spengelius Anaximeni Lampsaceno attribuit, primum invenitur; inde procul dubio haud pauci usque ad Hermogenis tempora conscripserunt progymnasmata (cf. p. 28 sequ.), quorum tamen progymnasmatum ante Hermogenem compositorum, praeter Theonis libellum, nulla tradita sunt nisi Quintiliani exercitationes. Is enim, Graecis sine dubio rhetoribus auctoribus, in Inst. Orat. Lib. II. cap. 4 (p. 64 seqq. ed. Bonelli) has primas apud rhetorem exercitationes tradit. Narrationem (et eam quidem historicam). cui p. 66 destructionem et assertionem adiungit — Narrationibus non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευή et κατασκευή vocatur — laudare claros viros et vituperare improbos, comparisonem, communes locos, theses, legum laudem ac vituperationem. Accedunt autem praeexercitamenta, quae affert Quintilianus in capite 9. libri I., ubi de officio grammatici agit; is enim, id quod apud Theonem non invenitur, ab iis, quae apud rhetorem exercentur, ea, quae apud grammaticum exercenda sunt, separat; haec autem nihilo minus praeexercitamenta futurorum oratorum esse satis constat<sup>1)</sup>. Atque in his apud grammaticum

in definitionibus tradendis, quas Theonem primum progymnasmatibus praefixisse scimus, alios secutus esse videatur (cf. p. 4, 10 seqq., p. 16, 11 seqq., p. 17, 9 seqq.), inter illum et Theonem complures progymnasmatum scriptores, qui ex Theone hauserant, fuisse necesse est.

<sup>1)</sup> cf. C. Suetonium Tranquillum de grammaticis § 4. p. 259 (ed. C. L. Roth.): Veteres grammatici et rhetoricam docebant, ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. Secundum

exercitationibus Quintilianus Aesopi fabellas et chrias et narratiunculas (a poetis celebratas) diserte proponit; praeterea ethologiam affert, quae ethologia — affectuum et morum expressio ac descriptio — ab ethopoeia — morum institutione, morum expressione, morum et affectuum fictione — haud ita valde discrepare videtur<sup>1)</sup>. Ethopoeiam autem, quam Hermogenes et Aphthonius pro Theonis prosopopoeia ponunt, cohaerere cum prosopopoeia, hoc per se intellegitur<sup>2)</sup>; ceterum cf. Herm. cap. περὶ ἡθοποιίας p. 15, 17 seqq.: γίνονται δὲ ἡθοποιῶν καὶ ὁρισμένων καὶ ἀορίστων προσώπων, ἀορίστων μὲν, ὅσον πόλους ἂν εἴποι λόγους τις πρὸς τοὺς οἰκείους μέλλων ἀποδημεῖν, et Theonis cap. περὶ προσωποποιίας p. 115, 14 sequ.: ὅσον τίνος ἂν εἴποι λόγους ἀνὴρ πρὸς τὴν γυναῖκα μέλλων ἀποδημεῖν, deinde p. 15, 20 seqq. et p. 115, 16 seqq.

Ergo Quintilianus praeter ἔκφρασιν, quam, ut opinor, utpote „praeoccupatam“, ut Prisciani verbis

quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam iam discretis professionibus, nihilo minus vel retinuisse vel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. Quae quidem omitti iam video, desidia quorundam et infantia; non enim fastidio putem.

<sup>1)</sup> Volkmannus (die Rhetorik der Griechen u. Römer) annotat quidem p. 123: Die Ethologie ist das, was wir Charakteristik, Charakterbild nennen, und darf mit der Ethopoeie nicht verwechselt werden; sed vertit ipse ἡθοποιῶν voc. Charakterzeichnung, Charakteristik (Ueber Progymnasmen und ihre Verwendbarkeit für den deutschen Unterricht auf Gymnasien, Stettin 1861 p. 22).

<sup>2)</sup> cf. Walz. vol. I. p. 534 et Volkm. Rhet. d. Gr. u. R. p. 417.

utar, „in fabula et narratione (cf. Herm. p. 17, 1 seqq. et Theo. p. 120, 8 seqq.) in praexercitamentis non posuit“, omnia fere praexercitamenta tradit, quae apud Theonem leguntur.

Quod cum in lib. II. cap. 4. laudem et vituperationem<sup>1)</sup> — ἐγκώμιον καὶ ψόγον — in praexercitamentis ponat, quas Theonem primum<sup>2)</sup> in progymnasmatis posuisse ex verbis p. 61, 20 seqq. colligere velim, et in eodem capite destructionem et assertionem — ἀνασκευὴν καὶ κατασκευὴν — narrationi subiungat, cui gymnasmati Theo cum in cap. περὶ μύθου, περὶ χρείας, περὶ θέσεως, περὶ νόμου, tum in cap. περὶ διηγήματος plurimum tribuit, et cum nonnullis locis (velut lib. I, 9, 2 cf. Th. p. 74, 4; 75, 9 seqq.; 75, 16 seqq.; I, 9, 5 cf. Th. p. 98, 29; I, 9, 5 cf. Th. p. 101, 23 seqq.; II, 2, 8 cf. Th. p. 70, 30; II, 4, 10 cf. Th. p. 72, 4; II, 4, 19 cf. Th. p. 94, 10; II, 4, 25 cf. Th. p. 120, 15; 123, 7; II, 4, 37, 38 cf. Th. p. 129, 7 seqq.) cum Theone conspirare videatur, a verisimilitudine haud ita valde abhorre mihi videtur, Quintilianum Theonis progymnasmata non ignorasse; eum autem Theonis libellum ipsum ante oculos habuisse, contendere nolim; nam scriptores multos, quorum praecepta in suum usum convertit, cum afferre soleat, Theonis nomen vix omisisset; verisimilius autem est, eum Theonis praexercitamenta ex scriptis vel verbis discipulorum et imitatorum, quos haud paucos illum habuisse supra demonstravi, cognovisse. Verum tamen artem rhetoricam Theonis,

<sup>1)</sup> cf. Suetonium de rhetoribus c. 1. p. 269 (ed. Roth.).

<sup>2)</sup> Theo ipse progymnasmatis iam traditis alia se addidisse contendit cf. p. 59, 18 sequ.: οὐ γὰρ μόνον τοῖς ἤδη παραδεδομένοις γυμνάσμασιν ἕτερα ἄλλα ἐπεξεύρομεν . . .

quam illum scripsisse cum aliis ex causis<sup>1)</sup>, tum ex verbis p. 61, 26 seqq.: καὶ ἅμα τὴν μὲν ἀκριβῆ τοῦτου τεχνολογίαν ὑπερεθέμην εἰς τὴν προσήκουσαν χώραν, νῦν δὲ ἀπλουστέραν πεποίημαι τὴν διδασκαλίαν — colligo, a Quintiliano inspectam esse mihi persuadeo; is enim in lib. III. c. 6, 48 Caecili et Theonis cuiusdam status commemorat: Fecerunt alii totidem status, sed alios, An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit? ut Caecilius et Theon.

Haud ita igitur falleremur, si Theonem eidem fere aetati, qua etiam alii auctores, quos Quintilianus secutus est, vixerunt, velut Dionysius Halicarnasaeus et Caecilius Calactinus, attribuerimus et eum saeculo primo ante Chr. n. exeunte et ineunte saeculo primo post Chr. n. floruisse statuerimus<sup>2)</sup>.

Jam vero restat, ut exponamus, quomodo factum sit, ut Theonis progymnasmata, quippe quae illis ab Hermogene et Aphthonio scriptis multo praestarent, Hermogenis libello itemque progymnasmata Hermogenis, quamvis gloria floruisset, Aphthonianis remota atque obruta sint.

<sup>1)</sup> Immo vero mirum videretur, si rhetor usu tam peritus, scriptor tam eruditus et diligens, quam Theonem fuisse ex libro elucet, artem rhetoricam non scripsisset. Itaque Suidae verba (s. v. Θεών b) ἔγραψε τέχνην, περὶ προγυμνασμάτων ita interpretanda sunt, ut statuamus, Theonem artem (rheticam) et progymnasmata scripsisse.

<sup>2)</sup> Tres igitur Theones iisdem fere temporibus (i. e. Augusto imperante) floruisse videntur, hic progymnasmatum scriptor, Theo, philosophus Stoicus (cf. Suid. s. v. Θεών a et Quint. IX, 3, 76, si modo Halmi coniectura probatur), Theo grammaticus (cf. Suid. s. v. Ἀπών, M. Schmidt. de Theone grammatico, Zeitschrift f. Alterthumswissenschaft 1853, Giese. de Theone grammatico eiusque reliquiis, diss. Monast. 1867). Horum autem

Theonis progymnasmata cum minus in usum discipulorum quam magistrorum essent composita, procul dubio rarius describebantur neque in multorum manibus erant (perrari igitur sunt codices Theonis progymnasmatum cf. Walzium vol. I. p. 139); accedit etiam, quod circuitus libri maior erat, quam ut hominibus posterioris aetatis, utpote qui omnia angustius contraherent, probaretur; postquam igitur Hermogenes, celebratus ille rhetor Tarsensis, artem rhetoricam conscripsit eique progymnasmata eaque magis coartata addidit, integrum Theonis librum perpauca possedissee videntur. Sed ne Hermogenis quidem progymnasmata hominibus insequentium saeculorum placebant; obscura enim quodammodo videbantur et ad perspicendum difficilia utpote speciminum expertia (*ἀσαφὴ πὼς ἐδόκουν καὶ δόγληπτα, ἅτε ὄντα ἀπαραδειγμάτιστα* cf. schol. cod. Rhed. a P. Schaefero in diss. Vratisl. p. 3. allatum). Itaque cum alii pro Hermogenis progymnasmatis alia composuerunt, tum Aphthonius, cuius sophistae auctoritas postea in scholis ita praevaluit, ut praeexercitamenta eius, Hermogenis libello paulatim ex usu scholarum remoto, omnibus fere in codicibus illius arti rhetoricae praefigerentur et a Suida et multis in codicibus *προγυμνάσματα εἰς τὴν τοῦ Ἑρμο-*

Theonum aut alterum aut tertium eundem esse ac progymnasmatum auctorem contendere nolim. Nam Theo Stoicus apud Suidam diserte a Theone sophista distinguitur; accedit autem, quod hic a Doxopatro (homil. p. 513) Platonicus appellatur. Neque minus a progymnasmatum auctore Theo grammaticus diversus est; hic enim ποιῆτας (velut Homerum, Theocritum, Nicandrum, Apollonium Rhodium, Lycophronem, Callimachum) commentatus est, illum autem in re oratoria perlustranda summam diligentiam atque operam collocasse scripta, quae Suidas affert, demonstrant (cf. Giese.).

*γένους ῥητορικῆν* vocarentur. Quo factum est, ut Aphthoni progymnasmata, utpote in usum scholarum saepissime descripta, iam anno 1508 typis vulgarentur, Hermogenis autem progymnasmata, rarius descripta et paene oblivione obruta, deperdita esse viderentur (cf. Fabricium B. Gr. vol. VI. p. 69) et anno demum 1791, ut Westermannus p. 220, s contendit, anno 1794, ut Walzium vol. I. p. 7 refert, primum ederentur.

## II.

Ex iis, quae in priorie parte attuli, intelleximus, Theonis progymnasmata non solum vetustissima esse eorum, quae tradita sunt, sed etiam procul dubio omnium longe optima; eo magis igitur dolendum est, quod Theonis libellus vitiose traditus est neque integer ad nos pervenit. Primum enim ordo capitum turbatus est, deinde, ut missos faciam singulos locos corruptos, quos hoc in specimine sanare mihi non vacat, liber cum multis lacunis hiat, tum in extremo quasi mutilatus et truncatus est.

Hac igitur in altera parte commentationis de ordine Theonis progymnasmatum eorumque numero disseram, οὐχ ὥς οὐχὶ καὶ ἄλλων τινῶν συγγεγραφότων περὶ τούτων (ut Theonis verbis utar) — iam enim Finckhium de hac re egisse constat — sed ut hanc de progymnasmatum scriptoribus quaestionem plane cumulateque perficiam; accedit autem, quod etiamsi in ipsa re cum Finckhio consentio, tamen nonnullis in rebus, quod intendam, accuratius et copiosus, ut videor, confirmabo.

Itaque, quo ordine Theo progymnasmata disposuerit, demonstrare conabor.

Progymnasmata in Theonis libro, qui ad nos pervenit, eodem modo, quo apud Hermogenem et Aphthonium, disposita sunt. Primo enim loco positus est μῦθος, sequuntur deinceps διήγημα, χρεῖα, τόπος, ἐγκώμιον καὶ ψόγος, σύγκρισις, προσωποποιῖα, ἔκφρασις, θέσις, νόμος. Hunc autem ordinem non esse genuinum multis ex locis progymnasmatum ipsorum elucet. Nam caput περὶ χρεῖας capitibus περὶ μύθου et περὶ διηγῆματος praemissum fuisse docent hi loci:

In capite 3. (περὶ μύθου) p. 74, 8 legimus: τὴν μὲν ἀπαγγελίαν, ἥτις ἐστὶ, καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς χρεῖας δεδηλώκαμεν — quae cum pertineant ad caput 5. (περὶ χρεῖας) p. 101, 3 seqq.: Γυμνάζονται δὲ κατὰ τὰς χρεῖας τῇ ἀπαγγελίᾳ . . . καὶ ἡ μὲν ἀπαγγελία φανερά ἐστι· ῥηθεῖσαν γὰρ χρεῖαν πειρώμεθα κατὰ τὸ δυνατόν αὐτοῖς ὀνόμασιν ἢ καὶ ἑτέροις σαφέστατα ἐρμηνεύσαι — caput περὶ χρεῖας ante caput περὶ μύθου collocatum fuisse apparet.

Deinde Theo in capite 4. (περὶ διηγῆματος) p. 89, 21 seqq. haec docet: τὴν δὲ προσαγορευτικὴν παραιτούμεθα, ὅτι καὶ πρότερον ἐπὶ τῶν κατὰ τὰς πτώσεις ἐγκλίσεων ἤδη παραδεδώκαμεν ἐπὶ τῆς κλητικῆς — atqui haec spectant ad caput 5. (περὶ χρεῖας) p. 102, 30 seqq.: ἡ δὲ κλητικὴ σαφής ἐστι· ποιησόμεθα γὰρ τὸν λόγον πρὸς παρὸν ἡμῖν πρόσωπον, ἐφ' ὃ ἡ χρεῖα ἀναφέρεται, ὅλον Διόγενης Κυνικὴ φιλόσοφος, ἰδὼν μαιράκιον πλούσιον ἀπαιδευτον, εἰπας, οὗτός ἐστι ῥύπος περιηργυρωμένος — ergo caput περὶ χρεῖας etiam capiti περὶ διηγῆματος praemissum fuisse necesse est (cf. praeterea Herm. p. 4, 21 sequ.: ἐνιοὶ μέντοι τὴν χρεῖαν ἔταξαν πρὸ τούτου

(scil. διηγῆματος) et Theo. p. 74, 21 et 105, 30, ubi μῦθον et χρεῖαν coniungit).

Quod cum caput περὶ διηγῆματος post caput περὶ μύθου positum fuisse eluceat ex verbis, quae in capite 3. (περὶ μύθου) p. 76, 30 leguntur: ἀκριβέστερον δὲ μικρὸν ὕστερον περὶ τῆς σαφηνείας ἐν τῷ περὶ διηγῆματος ῥηθήσεται (cf. caput 4. περὶ διηγῆματος p. 80, 8 seqq.: Σαφῆς δὲ ἡ διήγησις γίνεται διχόθεν, ἐξ αὐτῶν τῶν ἀπαγγελλομένων πραγμάτων, καὶ ἐκ τῆς λέξεως τῆς ἀπαγγελίας, ἥς τὰ πράγματα . . . — 83, 13)<sup>1)</sup>, primo loco χρεῖαν, secundo μῦθον, tertio διήγημα tractata fuisse intellegimus<sup>2)</sup>.

Cum autem praeterea ex capite 11. (περὶ ἐκφράσεως) p. 119, 6 seqq.: συγγένειαν δὲ ἔχει τὸ γύμνασμα τοῦτο τῶν προειρημένων· ἡ μὲν γὰρ περὶ οὐδενὸς ὠρισμένου ἐστὶν ἀμφοτέρα, ἀλλὰ κοινὰ καὶ καθόλου, ταύτη ὁμοία· διαφέρει δὲ ἀλλήλων πρῶτον μὲν, ὅτι ὁ μὲν τόπος περὶ τῶν ἐκ προαιρέσεως ἐστὶν, ἡ δὲ ἔκφρασις τὰ πολλὰ περὶ τῶν ἀψύχων καὶ ἀπροαιρέτων γίνεται, δεύτερον δὲ ὅτι ἐν μὲν τῷ τόπῳ τὰ πράγματα ἀπαγγέλλοντες προστίθεμεν καὶ τὴν ἡμετέραν γνώμην ἢ χρηστὰ ἢ φαῦλα λέγοντες εἶναι, ἐν δὲ τῇ ἐκφράσει ψιλῇ τῶν πραγμάτων ἐστὶν ἡ ἀπαγγελία — inter caput 11. (περὶ ἐκφράσεως) et ca-

<sup>1)</sup> Huc pertinent praeterea loci velut cap. 3. (περὶ μύθου) p. 78, 11 seqq.: οἱ δ' αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὴν τῶν διηγμάτων ἀνασκευὴν τε καὶ κατασκευὴν, quae ei aptum aditum aperiunt ad caput περὶ διηγῆματος, quod subsequitur; p. 85, 28 seqq. cf. p. 74, 3 seqq.; p. 86, 5 seqq. cf. p. 74, 3 seqq.; p. 92, 16 seqq. cf. 74, 5 seqq.; p. 93, 5 sequ. (p. 96, 16 sequ.) cf. p. 78, 11 seqq.).

<sup>2)</sup> Alii loci, qui ad ordinem progymnasmatum spectant, sunt: Cap. 5. p. 105, 28 sequ.: τοῖς δὲ ἤδη τελειοτέροις προσήκει τὰς ἀφορμὰς λαμβάνειν καὶ ἐκ τῶν πρὸς τὰς θέσεις ἡμῖν παραθησομένων, quae pertinent ad cap. 12. p. 121, 18 seqq., unde discimus, Theonem cap. περὶ θέσεως procul dubio capiti περὶ χρεῖας

put 7. (περὶ τόπου) aliud progymnasma non fuisse appareat, pro certo dici potest, ordinem progymnasmatum, quem nunc habemus, non esse illum, quem Theo secutus est. Quo modo autem ille progymnasmata disposita velit, ipse demonstrat.

In praefationis enim capite 2., quo Theo exempla singulorum progymnasmatum (ἐκάστου γυμνάσματος εἷς ἔχοντα παραδείγματα), quae apud veteres scriptores inveniuntur (cf. p. 65, 27 sequ. ἐν ᾧ καὶ περὶ τῆς παρὰ τοῖς παλαιοῖς χρήσεως τῶν προγυμνασμάτων) enumerat, primo loco *χρεῖα* tractatur; sequuntur deinceps *μῦθος*, *διήγησις*, *τόπος*, *ἐκφρασις*, *προσωποποιεῖα*, *ἐγκώμιον*, *σύγκρισις*, *θέσις*, *νόμων ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ*. Cur autem, cum in enumerandis progymnasmatum exemplis *χρεῖαν* primo tractasset loco et *ἐκφρασιν* posuisset secundum *τόπον*, in progymnasmatis ipsis tradendis hunc ordinem mutaret, non intellegitur. Accedit, quod, cum in praefationis capite 2. *χρεῖα*, *μῦθος*, *διήγημα*, *τόπος*, *ἐκφρασις* eo collocata sint loco, quo Theonem in ipso libro ea tractasse ex locis, quos supra attuli, apparet, etiam cetera progymnasmata in capite 2. procul dubio sic disposita sunt, ut Theo in ipso libro ea digessit. Inde autem sequitur, ut Theo secutus esse mihi videatur

postposuisse (cf. cap. 12. p. 128, 18 seqq. et cap. 5. p. 105, 24 seqq.). Cap. 10. p. 118, 3 seqq.: *πάρεστι χρῆσθαι καὶ ταῖς μικρὸν ὕστερον ῥηθισμέναις ἡμῖν ἀφορμαῖς τῶν ἐπιχειρημάτων πρὸς τὰς θέσεις*; cf. cap. 12. p. 121, 18 seqq., unde apparet, θέσιν post προσωποποιεῖαν fuisse tractatam. Cap. 9. p. 113, 5 seqq.: *καὶ εἰ τι ἄλλο περὶ τοῦ σώματος καὶ ἑξωθεν ἀγαθὸν ἐν τοῖς περὶ ἐγκωμίων προεῖπομεν* (cf. c. 8. p. 110, 2 seqq.) et p. 113, 17 sequ.: *τὰς δὲ διαβολάς, ὡς ἔφαμεν ἐν τῇ περὶ ἐγκωμίων, ἣ οὐ δεῖ λέγειν ἢ ὡς οἶόν τε τάχιστα* (cf. c. 8. p. 112, 8 seqq.), unde intellegimus, caput περὶ ἐγκωμίου καὶ φόγου ante caput περὶ συγκρίσεως collocatum fuisse.

hunc ordinem: *χρεῖα*, *μῦθος*, *διήγημα*, *τόπος*, *ἐκφρασις*, *προσωποποιεῖα*, *ἐγκώμιον*, *σύγκρισις*, *θέσις*, *νόμος*.

Praeterea eundem ordinem progymnasmatum legimus in capite 1. pag. 64, 29 seqq., ubi demonstratur, quo ordine praeexercitationes optime tractemus (Τὴν δὲ τάξιν τῶν γυμνασμάτων αὐτῶν οὕτω ποιησόμεθα — p. 65, 12 sequ. αὐτοὶ ἀρχόμενοι ἐξ ἰδίας δυνάμεως ἐπιχειρεῖν<sup>1)</sup> καὶ ἀνασκευάζειν ἢ κατασκευάζειν), nisi quod Theo ἀνασκευὴν et κατασκευὴν *χρεῖας*, *μῦθου*, *διηγῆματος*, utpote quae tironibus difficiliora sint, initio omittit et post σύγκρισιν ponit; nihilo minus autem et chriae et fabulae et narrationi ἀνασκευὴν καὶ κατασκευὴν in ipso libro subiunxit cf. cap. 2. p. 66 sequ., cap. 3. cap. 4. cap. 5.<sup>2)</sup>

Denique etiam alium progymnasmatum ordinem, qui illi, quem genuinum fuisse supra demonstravimus, repugnare videtur — ῥαθυμίας ἔγκλημα φεύγοντες, ut Hermogenis verbis utar — commemorare debemus.

In praefatione enim (cap. 1. pag. 60 seqq.), ubi progymnasmata τοῖς τὴν ῥητορικὴν δυνάμιν ἀναλαμβάνουσιν

<sup>1)</sup> ἐπιχειρεῖν, non ἐγχειρεῖν (cum Finckh.) legendum est; persaepe enim apud Theonem vocabula ἐπιχειρεῖν, ἐπιχειρημα, ἐπιχειρησις inveniuntur; cf. supra p. 31, praeterea p. 60, 14, 76, 18, 94, 7, 105, 23, 106, 1, 17, 107, 24, 117, 5, 118, 4, 123, 3, 125, 20. Vocab. ἐπιχειρησις coniunctum est cum verb. ἀνασκευάζειν p. 76, 14 sequ. ἔπειτα δὲ μεταβαίνειν ἐπὶ τὴν ἐπιχειρησιν καὶ ἀνασκευάζειν . . . ; voc. ἐπιχειρημα cum voc. ἀνασκευὴ p. 128, 18 seqq.: *ταῖς δ' αὐταῖς ἀφορμαῖς τῶν ἐπιχειρημάτων χρῆσόμεθα καὶ πρὸς τὴν τῶν γνωμῶν ἀνασκευὴν* . . . ; verb. ἐπιχειρεῖν cum verb. ἀνασκευάζειν p. 105, 18 seqq.: *ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνασκευαστέον, πρὸς ἕκαστον δὲ μέρος τῆς χρεῖας ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπιχειρεῖν δεῖ, ἐξ ὧν τῶν τῶν ἂν δυνατόν ἦ.*

<sup>2)</sup> Cap. 6. περὶ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς partem capitis 4. περὶ διηγῆματος esse infra docebo.



vousin utilissima esse ostendit, ea ita enumerat, ut τόπον quidem et ἔκφρασιν et προσωποποιῶν coniungat (ut in cap. 2. p. 67, 68), χρεῖαν autem non primo afferat loco neque ἐγκώμιον septimo. Sed hoc ordine, quae iam probavimus, destrui non possunt. Nam chriam ante fabulam et narrationem Theonem in ipso libro non ponere non potuisse, ex locis, quos supra attulimus, elucet. Hoc igitur loco cum exempli tantum gratia progymnasmata afferret, ut eorum utilitatem demonstraret, ab ordine, quem in explicandis progymnasmatis ipsis secutus erat, mediocriter deflexit; cf. p. 72, 11 sequ. *ὅλον τόπον ἢ διήγησιν ἢ ἔκφρασιν ἢ ἐγκώμιον ἢ θέσιν ἢ τι ἄλλο τῶν τοιούτων . . .* ubi, cum nonnulla progymnasmata exempli tantum causa afferat, locum communem narrationi praemittere ei licet.

Quod autem Theo ἐγκώμιον decimo ponit loco, non est neglegendum, eum ἐγκώμιον procul dubio primum in progymnasmatis posuisse; cf. p. 61, 20 seqq.: τὸ δὲ ἐγκώμιον οὐδὲ αὐτὸς μὲν ἀγνοῶ, ὅτι εἰδὸς ἐστὶν ὑποθέσεως· τῆς γὰρ ὑποθέσεως εἶδη τρία, ἐγκωμιαστικόν, ὅπερ ἐκάλουν ἐπιδεικτικόν οἱ περὶ τὸν Ἀριστοτέλην, δικανικόν, συμβουλευτικόν· ἀλλ' ἐπεὶ καὶ τοῖς νεωτέροις προβάλλειν πολλάκις εἰώθαμεν ἐγκώμια γράφειν, διὰ τοῦτο ἐν τοῖς προγυμνάσμασιν αὐτὸ ἔταξα . . . quam ob rem ἐγκώμιον ceteris iam notis postponit<sup>1)</sup>. Ceterum Theonem in libro ἐγκώμιον non decimo loco, sed ante σύγ-

<sup>1)</sup> Ut ἐγκώμιον sic παράφρασιν Theo primus in progymnasmatis posuisse videtur; cf. p. 62, 10 seqq.: ἡ δὲ παράφρασις οὐχ ὥς τιον εἴρηται ἢ ἐδοξεν, ἀχρηστός ἐστι· τὸ γὰρ καλῶς εἰπεῖν, φασὶν ἀπαῖ περιγίνεται, δις δὲ οὐκ ἐνδέχεται· οὗτοι δὲ σφόδρα τοῦ ὀρθοῦ διημαρτήκασι et quae sequuntur usque ad p. 64, 25; neque minus verisimile est, Theonem primum ut progymnasmata tractasse

χρῆσιν, id est septimo loco tractavisse, etiam ex iis verbis intellegimus, quae in annotatione p. 44 attuli.

Jam nascitur quaestio, quonam modo factum sit, ut ordo genuinus turbaretur.

Equidem censeo, aliquem ineptum sane hominem, auctoritate cum Hermogenis, tum Aphthoni adductum Theonis progymnasmatis illum ab Hermogene et Aphthonio traditum ordinem inculcavisse neque inculcatum ordinem multis locis libri Theonis repugnare consideravisse.

Jam vero superest, ut, qui sit numerus progymnasmatum Theonis, paucis exponam. Neque enim solum vitiose disposita esse progymnasmata Theonis, sed etiam extremam partem libri esse mancā, neminem fugit. Itaque iam Camerarius in extremis progymnasmatis annotavit: *λείπει*; copiosius autem Schefferus librum extremum esse truncatum demonstravit; cf. Walz. vol. I. p. 257, ann.: Desunt pluscula. Nihil enim hic de eo, quod supra vocavit τὴν ἀσάφειαν περὶ τὴν μάχην, partemque fecit ἀσαφείας. Nil de locis caeteris, excepto loco obscuritatis, ut impossibilitatis, necessitatis, contrarii, indigni, inutilis, et turpis, quorum omnium desideratur ratio, ut omittam, quae monere quolibet in capite de dispositione atque elocutione consuevit. Cui cum nihil nisi ultimi capitis pars deesse videatur, Finckhius, doctissimus vir, praeterea integra capita, ἀνάγνωσιν, ἀκρόασιν, παράφρασιν, ἐξεργασίαν, ἀντιρρήσιν desiderari recte monet: Nam primum Theo in praefatione (cap. 1. p. 60 seqq.) non

ἀνάγνωσιν, ἀκρόασιν, ἐξεργασίαν, ἀντιρρήσιν, quae (ut παράφρασις) ab aliis progymnasmatum scriptoribus omissae et ab illo, ut ἐγκώμιον et παράφρασις, illis iam notis (fabulae, narrationi, chriae etc.) in cap. 1. praefationis postpositae sunt.

solum illorum progymnasmatum, quae adhuc exstant, demonstrat utilitatem, sed etiam cum ἀναγνώσεως, ἀκροάσεως, ἐξεργασίας, ἀντιβρόχσεως, tum παραφράσεως (cf. p. 62, 10 — p. 64, 25); deinde p. 64, 29 seqq., ubi quo ordine discipulos γυμνάσματα tractare oporteat, ostendit, etiam illa quinque progymnasmata affert; tum p. 65 seqq. non solum illorum, quae ad nos pervenerunt, progymnasmatum exempla enumerat, sed etiam παραφράσεως (cf. p. 62, 21 seqq.), ἐξεργασίας, ἀντιβρόχσεως; quod autem hoc loco ἀνάγνωσιν et ἀκρόασιν omittit, non est mirum, quoniam apud veteres horum progymnasmatum non inveniuntur exempla. Cum igitur Theo in praefatione haec, de quibus agitur, progymnasmata una cum illis, quae adhuc exstant, ter commemoret, neque usquam ea minoris esse momenti, quam ut explanentur, concedat, procul dubio etiam in ipso libro ea tractavit. Accedit autem, quod scholiasta Aristidis, quem idem Finckhius affert, extremam partem libri integri Theonis nosse videtur; dicit enim scholiasta: ἀλλὰ τοῖς κατανοεῖν δυναμένοις τέχνας τοῦτο δεδήλωκεν ἡμῖν ἐν τοῖς προγυμνάσμασιν ἐν τῷ τέλει τῆς τέχνης Θεῶν ὁ τεχνολόγος, εἰπὼν· ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος ἀντιβρόχσεως, ὅπερ οὐκ ἐστὶ μὲν τυγχάνει προγύμνασμα, μερικὸν δὲ εἶδος ῥητορικῆς, ὅπερ τῶν μὲν γενικωτάτων εἰδῶν οὐκ ἔστι, τέλειόν γε μὴν εἶδος καὶ μέρος καθέστηκεν. (Aristides ex recens. Guil. Dindorfi, vol. III. p. 437, 23 seqq.).

Ergo Theo in extremo libro de antirrhesi egit, quo loco, si illa quinque progymnasmata in libro suo tractavit, de illo gymnasmate ei agendum fuit (cf. p. 64, p. 65, p. 70). Ceterum scimus ex Doxop. (apud Walz. vol. VI. p. 455, 29 seqq. οἱ γὰρ περὶ τοῦ υἱοῦ ἀντιβρόχτικοι λεγόμενοι, κατὰ τὰς δ' μεθόδους παραβαί-

νοντες, προγυμνάσματα μᾶλλον εἰσιν ἢ ὑποθέσεις, ἀνασκευᾶς γὰρ ἔχουσι καὶ κατασκευᾶς . . . ἀντιβρόχσιν esse progymnasma et ex Greg. Corinth. (ap. Walz. vol. VII p. II p. 1206. 12—28 <sup>1)</sup>) ἀντιβρόχσιν re vera ut progymnasma esse tractatam. (Finckh.) Mirum sane igitur esset, si Theo, quippe qui ἀντιβρόχσιν in praefatione ter commemorasset, eam in ipso libro non tractasset.

Quae cum ita sint, quaestio oritur, quonam modo et quando haec, de quibus agimus, progymnasmata perierint. Atque certi quidquam de hac re vix afferri potest; verisimillimum autem est, haec progymnasmata illos, qui Theonem secuti sunt, mox tractare desiisse. Suetonius quidem paraphrasim tantum commemorat, Hermogenes autem et Aphthonius ne illam quidem tradunt. Facile igitur fieri potuit, ut aliquis, fortasse idem, qui ordinem progymnasmatum Theonis perturbavit, auctoritate Hermogenis et Aphthoni adductus etiam in Theonis libro ἀνάγνωσιν, ἀκρόασιν, παράφρασιν, ἐξεργασίαν, ἀντιβρόχσιν omitteret. Quae cum ita essent, haec progymnasmata, cum in plurimis apographis deessent, postremo plane perierunt <sup>2)</sup>.

Ex iis igitur, quae antecedunt, apparet, Theonem quinque progymnasmata tractasse, quae apud Hermogenem et Aphthonium non inveniuntur; contra duo, quae hi habent, illum non seorsum tractasse, γνῶμην

<sup>1)</sup> Ceterum equidem opinor, ἀντιβρόχσιν, quam apud Gregorium Corinthium legimus, ipso ex Theone esse assumptam; nam primum Theonis progymnasmatum haud dissimilis est; deinde, cum paulo post Theonem hoc progymnasma non iam tractatum esse verisimillimum sit (cf. supra), cui haec Greg. Corinthi ἀντιβρόχσεως tribuenda sit, non intellegitur.

<sup>2)</sup> Quo casu adverso et quo tempore praeterea maxima pars capitis 13. περὶ νόμου perierit, ne conici quidem potest.

dico et ἀνασκευὴν καὶ κατασκευήν, ex iis, quae sequuntur, elucebit.

Γνώμην, utpote quae chriae simillima esset — παράκειται δὲ αὐτῇ (scil. χρεῖα) γνώμη . . . . πᾶσα γὰρ γνώμη σύντομος εἰς πρόσωπον ἀναφερομένη χρεῖαν ποιεῖ (p. 96, 21 seqq.) — Theonem una cum illa (et thesi) tractatam voluisse constat; cf. cap. 5. (περὶ χρεῖας) p. 105, 23 seqq.: Τὴν μέντοι τάξιν τῶν ἐπιχειρημάτων ποιησόμεθα, καθὰ καὶ τῶν τόπων ἐκτιθέμεθα, οἱ αὐτοὶ δ' ἂν εἶεν καὶ πρὸς τὴν τῶν γνωμῶν ἀνασκευὴν τε καὶ κατασκευήν. τοῖς δὲ ἤδη τελειότεροις προσήκει τὰς ἀφορμὰς λαμβάνειν καὶ ἐκ τῶν πρὸς τὰς θέσεις ἡμῶν παραθησομένων (pertinent haec ad cap. 12. περὶ θέσεως p. 121, 18 seqq.); et cap. 12. (περὶ θέσεως) p. 128, 18: ταῖς δ' αὐταῖς ἀφορμαῖς τῶν ἐπιχειρημάτων χρησόμεθα καὶ πρὸς τὴν τῶν γνωμῶν ἀνασκευὴν, καθάπερ εἶπον καὶ πρότερον (p. 105, 26 sequ.). Eum autem γνώμην seorsum tractare opus non fuisse, utpote iam in chria praeoccupatam, etiam ex eo elucet, quod Hermogenes et Aphthonius, apud quos γνώμη χρεῖαν subsequitur, χρεῖαν et γνώμην apte inter se cohaerere demonstrant; cf. Herm. cap. περὶ γνώμης p. 8, 7: ἡ δὲ ἐργασία παραπλησία τῇ τῆς χρεῖας πρόεισι τοῖσδε . . . . et Aphth. cap. περὶ γνώμης p. 25, 29 sequ.: Ἡ μὲν οὖν διαίρεσις αὕτη τῆς γνώμης, ἐργάσαιο. δ' αὐτὴν τοῖς τῆς χρεῖας κεφαλαίοις. . . . Versum denique Homeri, quem Theo in capite περὶ χρεῖας p. 98, 25 affert: οὐ χρὴ παννύχιον εὔδειν βουληφόρον ἄνδρα (Il. B, 24, 61) — Hermogenes et Aphthonius in capite περὶ γνώμης adhibent cf. p. 7, 16 (8, 12) et p. 25, 16.

Secundum χρεῖαν et γνώμην apud Hermogenem et Aphthonium posita est ἀνασκευὴ καὶ κατασκευή; quod cum Theo extremo in capite περὶ χρεῖας de sen-

tentia agat, aliquis homo admodum ineptus — fortasse idem, qui ordinem progymnasmatum Theonis turbavit et extremam partem libri omisit — ut progymnasmata Theonis Hermogenianis et Aphthonianis similia essent et etiam in illis *χρεῖαν* (et *γνώμην*) *ἀνασκευή*· *καὶ κατασκευή* subsequeretur, post caput *περὶ χρεῖας* caput *περὶ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς* ponendum esse opinatus est.

Hoc autem caput (VI. apud Walzium, vol. I, p. 216 seqq.) partem capituli *περὶ διηγήματος* esse gravissimis argumentis probari potest.

Nam Hermogenes et Aphthonius de destructione et assertionem universa agunt, Theo autem hoc loco de narrationis tantum destructione et assertionem; cf. p. 93, 5 seqq.: *Περὶ δὲ ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς εἵπομεν* (p. 78, 11 seqq.), *ὅτι οἱ αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι, οἵπερ καὶ πρὸς τοὺς μύθους, ἐν δὲ τοῖς διηγήμασι καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ ψευδοῦς καὶ ἀδυνάτου τόποι ἀρμόττουσι . . .*; p. 93, 12 sequ.: *οὐκ ἀεὶ μὲν οὖν οἶόν τε ἐκ πάντων τῶν τόπων ἐν τοῖς διηγήμασιν ἐπιχειρεῖν*; praeterea p. 78, 11; 93, 28, 94, 14, 95, 4 seqq., 95, 20, 120, 10.

Inde iam satis quidem appareat, caput, quod apud Walzium sexto loco legitur, partem capituli quarti (*περὶ διηγήματος*) fuisse; sed etiam plura sunt, quibus idem demonstratur; atque primum est, quod ex verbis cap. 6. p. 93, 15 sequ.: *καθ' ὅσους τρόπους περὶ σαφηνείας εἵπομεν*, quae ad cap. 4. (*περὶ διηγήματος*) p. 80, 8 seqq. pertinent, et cap. 6. p. 94, 10 sequ.: *ἔστι δὲ ταῦτα, ἐξ ὧν προεἵπομεν, πρόσωπον, πρᾶγμα, τόπος, χρόνος, τρόπος, αἰτία*, quae spectant ad cap. 4. (*περὶ διηγήματος*) p. 78, 16 seqq., caput 6. et caput 4. olim coniuncta fuisse elucet; certe enim Theo verba ἐν τῷ *περὶ διηγήματος* vel simile quid addidisset; cf. cap. 3.

(περὶ μύθου) p. 74, 8 sequ.: ἐν τῷ περὶ τῆς χρείας et p. 76, 31: ἐν τῷ περὶ διηγήματος; cap. 4. (περὶ διηγήματος) p. 86, 8 sequ.: ἐν τῷ περὶ μύθων; cap. 9. (περὶ συγκρίσεως) p. 113, 6: ἐν τοῖς περὶ ἐγκωμίων et p. 113, 17: ἐν τῷ περὶ ἐγκωμίων; deinde etiam in praefat. cap. 2. (p. 66, 31 — p. 67, 29) exemplis narrationis (p. 66, 16 seqq.) παραδείγματα τῆς ἀνασκευῆς καὶ κατασκευῆς διηγημάτων subiungit; tum accedit, quod etiam Quintilianus narrationis destructionem et assertionem cum narratione coniungit cf. l. II. c. 4, 18: Narrationibus (de quibus supra egit) non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ vocatur.

Ceterum non intellegitur, cur narrationis destructio et assertio separatim tractetur, cum neque fabularum neque chriarum destructio et assertio seorsum tractata sit cf. cap. 3. p. 74, 7 sequ. et idem caput p. 76, 5 seqq.; cap. 5 p. 101, 5 sequ. et idem caput p. 104, 15 seqq.

Praeterea Finckhius (in ed. Theo. p. XVII.) recte monet, Theonem ipsum in capite περὶ διηγήματος (p. 85, 28 seqq.) disertis verbis etiam τὸ τε ἀνασκευάζειν καὶ κατασκευάζειν ad γυμνάσιον eius gymnasmātis pertinere dixisse et de omnibus deinceps partibus illius γυμνασίου singulatim eo capite exposuisse, de hac sola eius expositionem desiderari nec usquam significari, alibi de ea expositum iri. Denique addit idem, ex omnibus Theonis capitibus hoc solum et a particula δέ incipere, quae ad praegressum aliquid lectorem ableget, et definitione τοῦ γυμνάσιματος carere, quam singulis progymnasmatis a se praemissam in parte laudis suae ponat auctor c. 1, 3 (ap. Speng. p. 59, 19 seqq.).